


Semple Oct [illegible]

# ANALECTA HYMNICA

## MEDII AEVI.

---

XVIII.

## HISTORIAE RHYTHMICAE.

# Liturgische Reimofficien.

Dritte Folge.

Herausgegeben

von

**Guido Maria Dreves,**

S. J.




Leipzig.

O. R. Reisland.

1894.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

# Liturgische Reimofficien

des

# Mittelalters.

**Dritte Folge.**

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

**Guido Maria Dreves,**

S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1894.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

# EINLEITUNG.

Das vorliegende XVIII. Heft der Analecta führt die in V begonnene, in XIII (auch XVII) fortgesetzte Veröffentlichung der liturgischen Reimofficien weiter. Die hundert Officien dieses Heftes bilden auch insofern eine Einheit, als sie sämtlich französischen Quellen entnommen sind und wohl ausnahmslos auch französischen Ursprungs sein mögen.

Das Vorwort des V. Heftes benutzte ich, aus einem mittelalterlichen Traktate über Rhythmus und Reim eine Anzahl zum Teil sehr künstlicher Versmaſse vorzuführen. Sehr häufig ist in den in gebundener Rede abgefaſsten Historien die Verwendung des Hexameters, namentlich des gereimten, der gerne schlechtweg leonischer Vers genannt zu werden pflegt. Die zahlreichen Spielarten dieses Metrums behandelt ein kurzer metrischer Traktat, der sich in Cod. Vatican. Palatinus 719, einer Handschrift des 15. Jahrhunderts, fol. 152[v] u. ff. befindet. Die Handschrift gehörte, wie eine Eintragung bezeugt, einem Johannes Wimphen (Liber Johannis Wimphen); fol. 95[v] lesen wir am Schlusse einer andern Abhandlung: Explicit codicillus ymago vitae vocatus. In festo Wenceslai Bohemorum [ducis] ac patroni; und weiter: Anno

Tetra C, semel M, bis X, adjungito novem.
Qui scripsit scripta, Johannes nomen est ita,
Cognomen Cerdo a proavo suo Volperchti,
Alias Cerdonis, Wimpinae patre nationis.

Wir haben wohl die Nachschrift eines jener metrischen Traktate vor uns, wie sie an den Hochschulen jener Tage von berühmten Lehrern der Grammatik und Poetik vorgetragen zu werden pflegten. Er lautet:

Retrogradi versus dicuntur, qui retrogrado modo possunt legi, quod tum metrum vertitur et sententia. Et sunt preces versus perditionis rei ex utraque parte leonini, sic:

Alme pater, maesto pugili palmae dator esto.

Ille retrogrado modo legitur ab altera dictione usque ad primam[1]). Tales etiam sunt hi:

Plaudo tibi, vitae genitrix, laudo, colo rite,
Vas fidei, sospes semper vivas, misero spes.

Alii sunt retrogradi, non leonini. Et ponuntur hi versus in persona divitis, qui divitiis suis divinum honorem exhibuit, quasi haberet ex se, non ex gratia Dei, sic dicens:

Sors mea, non sacra vis, robur, non gratia Christi
Vivere me fecit dans mihi divitias.
Sunt mihi deliciae stabiles nec vivere cesso,
Gaudeo, nil crucior, his fruor ominibus.

Postea damnatus in poenis recognoscens seipsum et poenitentiam agens repetit eosdem versus retrogrado modo, incipiens ab ultima dictione ultimi versus usque ad primam primi versus, sic:

Ominibus fruor his, crucior, nil gaudeo, cesso
Vivere, nec stabiles deliciae mihi sunt.
Divitias mihi dans fecit me vivere Christi
Gratia, non robur, vis sacra, non mea sors.

In his versibus duae sunt subtilitates, scilicet quod, qui primo ordine fuerunt hexametri, postea ordine retrogrado erunt pentametri, et qui prius hexametri [lies pentametri], erunt hexametri. Secunda subtilitas est, quod prius affirmabat, postea negat et quod prius negabat, postea affirmat. Talis est etiam iste versus:

Sacrum pingue dabo, non macrum sacrificabo.

Qui sic bene congruit personae Abel, qui Deo obtulit pingue sacrificium, scilicet agnum. Retrograde convenit Cain, sic:

Sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrum.

Tertii versus sunt, qui dicuntur retrogradi per literas, secundum quod ab ultima litera versus resyllabantur usque ad

---

[1]) Nämlich: Esto dator palmae pugili maesto, pater alme.

primam literam ejusdem versus et sunt idem versus utroque ordine; sic:

Mane tace, rixae si vis exire catenam;

vel:

En, gyro torte sol cyclo sed rotor igne;

vel sic:

Arte mala mere vidi vere mala metra.

Alternati versus dicuntur, qui habent in singulis versibus sex consonantias, tres sibi concordantes et iterum tres sibi concordantes aliter, alternatim positas, hoc modo:

Plaude, parens pia, fraude carens, gaude, mihi parens.
Prima poli colis, ima soli regis, intima proli.

Dactylici dicuntur, qui tantum habent dactylos, ita quod secundus pes concordat cum quarto ejusdem versus et in fine ambo, sic:

Transit ad aethera virgo puerpera, virgula Jesse,
Non sine corpore, sed sine tempore transit ad Esse.

Januarii dicuntur versus, quorum quaelibet dictio directe et transverse respicit more Jani, hoc modo:

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Virgineum | lumen | te | ditat | nectare | numen |
| Lumen | solare | genitor | te | comit | honore |
| Te | genitor | peramat | plasmator | culmine | sacrat |
| Ditat | te | plasmator | amor | promit | populorum |
| Nectare | comit | culmine | promit | coelica | turba |
| Numen | honore | sacrat | populorum | turba | salutat. |

Hi versus ordine transverso iidem sunt, qui ordine directo, sicut patet inspicienti singulos[1]).

Tripodantes dicuntur illi versus, qui habent in se tres concordantes pedes, scilicet secundum et quartum et ultimum, hoc modo:

Agne Dei, miserere mei, loca dans requiei,
Cum palma nece, rex, alma me duc ad agalma;

vel:

Rex fortis Stygiae sortis penetralia pandit
Et mortis fractis portis super aethera scandit.

1) Die Worte sind von oben nach unten zu lesen.

Claudicantes dicuntur illi versus, qui alternatim habent dactylos tres et spondaeos tres, ita quod spondaei omnes habent similes consonantias et currunt modo claudicantis, sic:

Dextera Christi, nos rapuisti de nece tristi,
Plasmata patris tollis ab atris laeta barathris.

Conjugati versus dicuntur, quando quaelibet dictio primi versus habet sibi concordantem dictionem in sequenti versu, sic:

Quos anguis dirus tristi mulcedine stravit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.
Nos genitus patris Jesus moriendo redemit,
Quos penitus matris esus mordendo peremit.

Quadrigati dicuntur versus habentes dictiones concordantes in quatuor pedibus ad modum quadrigae, sic:

Herbarum vires, si cuncta sophismata scires,
Et te nescires, homo, esset vana tibi res.

Cur imples arcas? neque per nummos neque marcas
Placabis Parcas; hinc a vitiis tibi parcas.

Virtutum fama redolet veluti thymiama,
Hanc, ut epigramma grande lucreris, ama.

Nascitur ex patre rex in coelis sine matre,
Natus et ex matre manet in terris sine patre.

Leonini dicuntur versus, quando tertius pes concordat cum ultimo ejusdem versus, hoc modo:

Est servire Deo regnare fruique trophaeo,
Ergo, triumphare si vis, Domino famulare.

Ut lamiae lactant catulos, quos postea mactant,
Sic homines mundus lactans laniat furibundus.

Inficiens febris est adspectus muliebris,
Attrahit ut fiscus, interficit ut basiliscus.

Concatenati dicuntur, quando tertius pes primi versus concordat cum tertio pede sequentis versus et ultimus pes primi versus cum ultimo pede sequentis, ut sic:

Noscere defectus delictorum propriorum
Plus habet effectus, quam sidera nosse polorum.

Per Fiat pridem Deus omnia plasmata fecit,
Virgo decens per idem verbum labefacta refecit,

Dum mentem fidei pandens ait: Angele Christi,
En ancilla Dei, fiat mihi sicut aisti.

Crucifixi dicuntur, quando tertius pes primi versus concordat cum ultimo pede sequentis versus, et tertius pes sequentis versus cum ultimo pede primi versus, hoc modo:

Cum sit homo vermis, in coeli numina quare
Audet peccare, quia clade terretur inermis?

Quisquis ferventer cupis ostra, topazion, aurum,
Hunc, qui thesaurum dabit omnem, quaere frequenter.

Reciproci dicuntur, quando prima pars primi versus repetitur in fine sequentis versus et ultimus pes primi concordat cum tertio secundi, sic:

Jesus in aure melos, favus est ori sapientis,
Est jubilus mentis Jesus, in aure melos.

Plenus amore Dei mundi detestor amorem,
O si saepe forem plenus amore Dei.

Caudati dicuntur, quando tantum in fine ambo concordant, sic:

Si quis huic mundo millenis militet annis,
Vix tandem fractis sibi dat stipendia pannis.

Si stipendium derivatur a verbo stipo, as, est prima longa; si non, erit prima brevis et corrigatur versus, sic:

Vix tandem fractis (vel vetulis) dat tarda stipendia pannis.

Quidquid ab ore tonas, quidquid mihi prophetaris,
Si non Jesus ibi, sonet mihi cyfra, putaris.

Intercisi dicuntur, qui habent divisam consonantiam, sic:

O plastes vitae, quae cogit causa mori te?
En morior sponte, ne Styx voret aut Acheron te.

Differentiales dicuntur, qui habent in tertio et ultimo pede easdem dictiones, qui tamen differunt in significatione, sic:

Serve Dei Vite, intravit gens mala vi te,
De vera vite nunc sugis pocula vitae.

Alii sunt etiam pariter versus differentiales, quarum dictiones concordantes non solum dicuntur in significatione sed etiam in temporibus, hoc modo:

Laudes nocte, die pietati concine diae,
Si sine laude manes, inflant tibi noxia Manes.
Janua coelestis numquam fit aperta scelestis.
Quam collega malo sim, pauper vivere malo.

So weit der Traktat unseres Metrikers. Wendet sich derselbe auch mit Vorliebe Künsteleien zu, welche Zeichen einer niedergehenden Zeit zu sein pflegen, so dürfte er doch auch zum Verständnisse der klassischen Periode lateinischer Rhythmen- und Reimdichtung einiges beitragen. In dieser Voraussetzung haben wir ihn Freunden des reim-freudigen Mittelalters nicht vorenthalten mögen.

Dorstadt, den 8. April 1894.

**Guido Maria Dreves.**

## 1. De sancto Affrodisio.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Hierusalem
supernae concio,
Jucundare
jugi laetitia
Christum laudans
in Affrodisio,
Quem divina
subvectum gratia
Coronavit
aeterna gloria;
Hic sanctorum
junctus collegio,
Incessanti
psallens tripudio,
Salutare
canit Alleluja.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Alleluja,
Christum, quem parvulum
Adoravit
dux Affrodisius,
Venite adoremus.

### Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Dux fuit Aegypti,
proprium deseruit omne
Et sequitur Christum
sacra de virgine natum.

2. Discipulus demum
Petri sapiensque magister
Imperiisque suis
hos monuit populos.

3. Martyrii palma
tandem subvectus ad astra
Regnat cum Christo
perpetuo solio.

Responsorium.

4. Fulget his terris
pastor martyrque Biterris,
Quotidie cujus
laus plebis in ore sit hujus,
V. Ut plebs proficiat
et salva sua prece fiat.

Prosula.

1. Hic Affrodisius
Aegypti fuit dux,
2a. Hic Christum puerum
fanis caesis adoravit.
2b. Fugientem eum
septennio reservavit,
3a. Quem quaerebat
Herodes perdere,
3b. Et hic eum
voluit colere.
4. Ergo canamus
Te Deum laudamus.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dux Affrodisius
cecidisse sciens simulacra
Ingrediente Jesu
suscepit dogmata sacra.

2. Sermo docet scriptus,
quod ei servivit Aegyptus,
Pro Christo, quidquid
possedit, sponte reliquit.
3. Praesul devotus,
plenus dulcedine lotus,
Ignotis notus
a nostra gente remotus.
4. Petri praecepto
jucunda mente percepto
Abluit illotos
sacro baptismate Gothos.
5. Truncato capite
mortem patiens sine lite
Thesaurum pulchrum
capitis tulit usque sepulchrum.

Ad Benedictus.

A. Athleta Dei Affrodisius,
Apostolorum fonte
largifluo potatus,
post perpessa Aegypti
gentium ludibria
Petro jubente
Dominoque ducente
Septimaniam
adiit provinciam,
in qua Biterrum postea
pontificali meruit
decorari infula.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Videns sanctus
vir Affrodisius
Urbis suae
fana corruere,
Novit vere,
quod Dei filius,
Ortus saecli
vergente vespere,
Mundi sordes
venit abluere;
Quem dux sacer
complexans artius,
Jam per fidem
sanctis consocius,
Non expavit
mundum relinquere.

Brev. Biterrense imp. Lugduni 1534. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 12 vinctus collegio. — Ad Noct. **RR** 1 und 2 prosaisch. — Ad Ben. **A**, 3 potitus. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 14 sanctis conscius.

## 2. De sancto Agrippano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Eja, deprecemur Deum,
Ut visitet suum clerum
Et defendat populum
Per martyrem suum sanctum,
Quem amavit, decoravit
Praesulem Agrippanum.

Ad Magnificat.

A. Martyr sacer et insignis,
pontifex Agrippanus
Qui exsultas cum praeclaro
beatorum agmine,
Te precamur puro corde
ac sinceris vocibus,
Ut nos tua pia prece
summis jungas civibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Veneremur conlaudantes
regem regum Dominum,
Qui beatum super astra
transvexit Agrippanum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Agrippanus,
Christi miles egregius,
Docente veritate
Toto mentis anhelitu
Fervebat caritate.

2. In Sion rex constitutus
Praesulisque consecutus
Nomen et officium
Serviebat in timore,
Exsultabat cum tremore
Largitori omnium.

3. Voce pia cordis, oris
Clamavit ad Dominum
Et clamando exauditus
Est a patre luminum.

Responsoria.

1. Dies fulget celebranda
Martyris egregii,
Orbe toto veneranda
Meritis Agrippani,
Qua de mundo elevatur
Ad coeli palatia
Fruiturus cum electis
Perpetim laetitia.

V. Vir mirificus decore,
repletus charismate,
Coelo claret redimitus
sacro diademate.

2. Martyr Christi gloriose,
gemma fulgens praesulum,
Qui virtute meritorum
decorasti saeculum,
Plebem tibi famulantem
et devotam laudibus
Fac regnare super astra
tuis sanctis precibus.

V. Adsistentes tuae laudi
fove patrocinio
Seque tuo confidentes
tueri praesidio.

3. Vallanensis ecclesiae
sublimatus in apice
Dum rediret a Romano
consecratus pontifice,
Verbum Dei praedicando
Et devote sublimando
Divina mysteria
A profanis detruncatus
Est in coelis coronatus
Honore et gloria,

V. Sic per ingens tormentorum
Certamen est beatorum
Consecutus gaudia.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Non dilexit vanitatem,
respuit mendacium
Obtulitque semetipsum
Deo sacrificium.

2. Domum tuam introivit
cum mansuetudine
Et ad templum sanctum tuum
adoravit, Domine.

3. Quam excelsum nomen tuum
est et admirabile,
Per quod sanctis es largitus
munus ineffabile.

Responsoria.

1. Adest dies gloriosa,
Cujus mors est pretiosa,
Martyris Agrippani,
Qui contemptis his caducis
Factus est posessor lucis
In conspectu Domini;

V. Illi multimodas
promamus vocibus odas.

2. Vigilando, jejunando,
praedicando populum
Sitientes adaquabat
dans doctrinae rivulum,
His insistens est adeptus
coronam martyrii,
Sic se ratus meruisse
fructum summi praemii;

V. Hic mundum sprevit,
carnem domare decrevit.

3. Miles tutus est secutus
Regem ineffabilem,
Qui post luctus est deductus
In viam mirabilem;
V. Adjuvet hic flentes,
lacrimarum valle gementes.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Signo crucis praemunitus
verbum Christi coluit,
Quo sagittas peccatorum
armatus non timuit.
2. Pontifex immaculatus
conscendit ad aethera,
Quia super innocentem
non accepit munera.
3. Stola immortalitatis
et corona gloriae
Induit Agrippanum
rex misericordiae.

Responsoria.

1. Dirae gentis feritatem
cupiens exstinguere
Et ad cultum veritatis
intendens convertere,
Cursum vitae consummavit
pontifex Agrippanus;
V. Qui in regno claritatis
admonebat populum
Et doctrinae salutaris
propinabat poculum.
2. Stola fulgens immortali
et corona gloriae
Indutus Agrippanus
coelos scandit hodie,
Sine fine regnaturus
in conspectu Domini,
Cui sese consecravit
honore martyrii.
V. Praesulatus dignitatem
adipisci meruit,
In quo Deo famulatum
devotum exhibuit.

3. O praeclare Dei martyr,
O praesul Agrippane,
Qui pro Christo mortem pati
decrevisti nomine,
Ad supernam nos concede
patriam perducere,
V. Ubi sancti gloriantur
sacro juncti foedere.

Prosella.

Ibi dies finem nescit,
Ibi sonat angelorum,
Ubi praesul hic quiescit,
Novum carmen et decorum.

Ibi viget pax bonorum,
Fragrat odor pigmentorum;
Hic qui Deo famulamur,
Vera pace perfruamur.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Lux solemnis, dies pacis
fulsit et laetitiae,
In qua praesul est adeptus
praemium victoriae.
2. Gratulemur laude pari
et promamus cantica,
Offerentes Deo patri
thura precum mystica.
3. Qui de luce vigilasti,
pontifex, ad Dominum,
Piae plebis te precantis
terge sordes criminum.
4. Patrem atque coaeternum
patris unigenitum
Veneremur conlaudantes
spiritum paraclitum.
5. Referamus Deo patri
laudes cum Agrippano
Exsultantes et psallentes
in chordis et organo.

Ad Benedictus.

A. Visitavit et redemit
Deus suum populum

Et erexit cornu nobis
martyrem Agrippanum.
Jusjurandum, quod juravit,
Sanctus iste praedicavit
Praesul Vallanensium,
Dans salutis scientiam
Pellebat idolatriam
Lapsis praebens remedium.
Huic ergo festinemus
cantica dirigere,
Qui direxit pedes nostros
pacis in itinere.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, praesul honestatis,
Martyr mirae sanctitatis,
Agrippane, vir laudande,
Qui das lapsis relevamen
Et infirmis medicamen;
Tu pro nobis intercede,
Ut coelesti nos mercede
Ditet Deus cum beatis
Regno suae claritatis.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. B. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 278. C. — In 1. Vesp. stehen 5 Antiphonen super Psalmos, von denen aber die vier ersten jedenfalls späteren Datums sind, denn sie sind aus dem dritten Responsorium der ersten Nokturn und zwar so gebildet, dafs die einzelne Antiphon keinen in sich geschlossenen Sinn und Satzbau hat. — Sup. Ps. A, 1 deprecemus eum C. — Ad Magn. A, 2 exaltas C. — In 1. Noct. A 1, 3 anhelitus C. — R 1, 7 cum electis fehlt C. — R 2, 7 Fac regnare fehlt C. — In 2. Noct. A 1, 3 ipso C. — A 1, 4 et sacrificium C. — A 2, 4 adoravi C. — A 3, 2 est fehlt C. — In Laud. A 1, 2 fulcis et C. — A 4, 3 laudantes C.

## 3. De sancto Albino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Cum gaudio diem festum
Confessoris venerandi
Ac praeclari pontificis
Excipiamus Albini
Ac devota mente eum
Celebrare gloriemur;
Dies enim iste fuit
Coelicolis gloriosus,
In quo tantus praesul suo
Conjunctus est collegio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Deum vivum adoremus
Fideliter, in quo vivunt
Omnes sanctes feliciter,
Qui praesulem perenniter
Regnaturum gloriose
Sanctum coronavit Albinum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Claris ortus parentibus
Sanctus antistes Albinus
Nobilitatem sanguinis
Vitae ornavit meritis.

2. Ut excessit infantiam
Adeptus pueritiam,
Deum coepit magnanimus
Totis amare viribus.

3. Nam parentes relinquebat,
Frequentabat ecclesiam,
In coelesti solo patre
Suam ponens fiduciam.

4. Hic amore Dei fervens
Semetipsum abnegabat,
Crucem suam manu tollens
Sequebatur Jesum Christum.

5. His vacabat operibus,
Deo quibus esset carus,
Et ab his se continebat,
Quae Dominus non amabat.

6. Deo semper hic vivendo
Et orando adsistebat,
Ita namque impugnantem
Inimicum expugnabat.

Responsoria.

1. In tellure Venetica,
Quae Britannis est proxima,
Ingenuis est Albinus
Generatus parentibus;
V. Nobilitatem generis
Vitae ornavit meritis
Praesul sanctus, nobilibus
Generatus parentibus.

2. Pompam enim saeculorum
Et vanam mundi gloriam,
Ut manere non putavit,
Ut nihilum postposuit;
V. Possideret ut coelestem
Ante Deum cum angelis,
Mundi falsam dignitatem
Ut nihilum postposuit.

3. Hic virtutum gemmis clarus
Instar solis resplendebat
Atque sanctis operibus
In exemplum se praebebat;
V. Voluntati Dei cunctis
Obedire volentibus
Ipsi semper serviendo
In exemplum se praebebat.

4. Erat enim valde pius
Et caritate fervidus
Ac decenter adornatus
Humilitatis floribus;
V. Quos paterno gubernavit
Quinque annis officio,
Inter fratres resplendebat
Humilitatis floribus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Voluptatem non amabat,
Fugiebat ludibria
Atque mentis levitatem
Sapienter declinabat.

2. Sibi semper iste sanctus
In cautela prospiciens,
Gemmis clarus meritorum
Cunctis erat in exemplum.

3. Servi sui sanctitatem
Volens Deus non latere,
Spectabili miraculo
Hanc voluit clarescere.

4. Nam cum isset ad indictum
Justi patris obsequium,
Imbre coeli non est tactus,
Quo sodales maduerunt.

5. Audientes inauditum
Andegavi miraculum,
Exsultantes in laudibus
Glorificabant Dominum.

6. Cum annorum esset iste
Ter denorum atque quinque,
Digne pastor a fratribus.
Atque rector eligitur.

Responsoria.

1. Pius pater monasticam
Dum regeret familiam,
Expetitur a populo
Et a clero eligitur;
V. Ut antistes ad regendam
Sacraretur ecclesiam,
Expetivit hunc populus
Et a clero eligitur.

2. Post adeptum sibi dignum
Praesulatus officium,
Cujus servus erat, suam
Sanctitatem declaravit;
V. Quia prudens servus erat
Ac fidelis dispensator,
Suam Deus miraculis
Sanctitatem declaravit.

3. Per hunc namque sanans aegros
Atque caecos illuminans
Effugavit daemonia,
Mortuos vivificavit;
V. Mirificans servum suum
Miraculis fecit eum
Corruscare, nam per ipsum
Mortuos vivificavit.

4. Cum transiret quendam vicum,
Qui Regina dicebatur,
Adolescens Alabaudus
Jacebat ibi mortuus;
V. Albinus ergo beatus
Ei vitam sua prece
Reddebat, qui resolutus
Jacebat ibi mortuus.

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Binis annis atque ternis
Ut rexit monasterium,
Consecratur ad regendam
Episcopus ecclesiam.

Responsoria.

1. Hic bis binis lucem caecis,
Duobus vitam defunctis
Prece sua restituit
Mirifice per Dominum;
V. Ab arrepta muliere
Effugavit daemonia
Atque signa multa fecit
Mirifica per Dominum.

2. Velut alter hic Johannes
Praedicando veritatem
Dei legem non silebat
Damnans quaeque nefaria;
V. Si adesset gladiator,
Exoptasset martyrium,
Cum Johanne vera dicens,
Damnans quaeque nefaria.

3. Corpus sancti cum a clero
Transferretur de sepulchro,
Tres ibi paralytici
Sanitate renovantur;
V. Adducuntur duo caeci,
Qui virtute sancti viri
Cum tribus paraclyticis
Sanitate renovantur.

4. Decoratus virtutibus,
Sic albescens ut lilium,
Tu pro nobis, o Albine,
Funde preces ad Dominum;
V. Ut nos tibi famulantes
Tecum esse mereamur
Jesu Christi cohaeredes,
Funde preces ad Dominum.

Prosula.

Ad illum, qui non factus
Cuncta bona fecit solus,
Factorum potens rector,
Altis praestans altissimus,
Ut nostris aurem precibus
accommodet
Ac veniam petentibus
acceleret
Ac tuis, pater, precibus
Miserans miserabilibus
Nos tantae demptos miseriae
Reddat aeternae laetitiae
Perducendos ad Dominum.

### In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Ave, praesul gloriose,
Ave, sidus jam coeleste,
Decorans Albine coelum,
Nos guberna visens humum,
Quo laetemur triumphantes
Te patronum venerantes.

### In 2. Vesperis.

Prosula.

Sanitati dedit aegros
Albini precatio,
Curavit paralyticos
virtutis auxilio,
A defunctis Alabaudum
suscitat in bivio,
Hic bis binis lumen caecis
condonat continuo.
Ros cum pluit, hunc non tangit
imbris madefactio,
O quam probat sanctum Dei
daemonum fugatio.

Ergo laudes nunc Albino
concinat haec concio,
Nam qui corde poscunt illum
propulsato vitio
Renovantur.

Ad Magnificat.

A. O Albine, praesul sancte,
Qui virtutum gemmis clarus
Deo factus es dilectus,
Te orante, deprecamur,
A peccatis expiari
Atque tecum supra coelos
Exaltari gloriose
Regnaturi sine fine.

Brev. ms. S. Albini Andegaven. saec. 15. ex. Cod. Andegaven. 108. A. — Antiph. ms. Bellovacense saec. 14. in Cod. Sangenovefian. BBl. Fol. 26. B. — Brev. S. Albini imp. Andegavi 1531. C. — B hat nicht monastische Form; die monastische ist augenscheinlich die ursprüngliche. — In 1. Vesp. hat B fünf **AA**, die fünf ersten. Ad Magn. **A**: O Albine, praesul sancte etc. B; in AC steht das ganze Officium zum festum Translationis und beginnt mit einer **A** in Reimprosa: Confessor Domini Albine, adstantem plebem carrobora sancta intercessione, ut qui vitiorum pondere premimur, beatitudinis tuae meritis sublevemur et te duce aeterna praemia consequamur. Die im Text stehende **A** findet sich in AC in 1. Vesp. ad Magn. des Hauptfestes, in B als 2 **A** der 3. Noct. Sie gehört augenscheinlich zu diesem Officium. — In B fehlen seiner kürzeren Form wegen die drei letzten **RR** der 3. Noct. alle andern Teile sind vorhanden, nur in anderer Aufeinanderfolge; ebenso fehlen die beiden Prosen. — In 2. Noct. **A** 1, 4 reclinabat B. — **A** 2, 3 claris B. — **A** 4, 1 Jam cum B. — **A** 4, 2 Jussi patris B. — **R** 3, 4 mirificavit B. — **R** 4 ist in BC durch ein anderes, einem anderen Officium entlehntes ersetzt: Sancte Albine, Christi confessor, audi rogantes servulos et impertratam coelitus tu defer indulgentiam etc. In B sind die Worte dieses **R** etwas verstellt: Cum transiret, qui Regina Dicebatur adolescens Alabaudus jacebat quendam vicum ibi mortuus. — Die **AA** super Psalmos in den Laudes sind in allen Quellen prosaisch; in B auch die **AA** ad Bened. und in der zweiten Vesper.

## 4. De sancto Ambrosio.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vox infantis insonuit:
Dignus Ambrosius
Hic erit episcopus,
Ad cujus vocis sonitum
Favens resultat populus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum,
Qui sanctum Ambrosium
Elegit episcopum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum esset Ambrosius
In aetate tenulus
In sua cuna positus,
Miraculum divinitus
Visum est quam pluribus.

2. Examen apum insonuit
Et in lectulum intravit
Osque parvuli conclusit
Faciemque velavit.

3. Remensoque tramite
Ad coelum volavit
Cum tanta altitudine
Seseque levavit.

Responsoria.

2. Vir beatus fugiens
Recusabat sedem,
De nocte exsiliens
Perquirebat aedem,
Ut se posset latitare.

V. *Cum per totam noctem deambulasset, pervenit ad portam Romanam.*

3. Pendenteque diutius
Hoc medio Leontius,
Vir clarus et nobilis,
Invenit Ambrosium
In saepi latentem.

V. *Cum deambulasset Leontius in possessionem suam, vidit antistitem apprehendensque illum perduxit ad cives.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Videns pater geniti
apes evolantes,
Per aeris ambitum
in altum tendentes,
Perterritus nimium
cogitque moerentes
Matrem atque filiam
Potius gaudentes.

2. Si hic puer vixerit,
Dixitque uxori,
Sorori non latuit,
Quae jam nuntiavit,
Hic fiet mirabilis
Atque magnus erit.

3. Postquam liberalibus
artibus edoctus,
Ab urbe egressus est
et inde profectus
Propter adjutorium
praetorque effectus.

Responsoria.

2. Episcopus Ambrosius,
Splendens ut solis radius,
Liguriam agressus est
Aemiliamque arreptus est
Ad regendum officium
Praetorii propter jussum
Imperatoris commissum.

V. Vade, inquit imperator,
Age ut episcopus,
Velut judex non sis actor,
Sed ut ecclesiasticus.

3. O praesul egregie,
Magnae bonitatis,
Manum nobis porrige
Tuae sanctitatis,
Christumque assidue
Deum veritatis
Deprecare, avide
Magnae deitatis,
Ut possimus vivere
Semper cum beatis.

V. Qui meruisti regere
Populum Mediolanum,
Velis intercedere
Tu pro nobis Deum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Officium praetorii
Tam splendide egit
Causasque consilii
Ita peroravit,
Meruit quod fieri
magnus consularis.

2. Postquam praesul effectus est
Insigniaque suscepit,
Ut regeret Liguriam,
Aemiliamque accepit,
Provincias agressus est,
Mediolanum accessit.

3. Mortuo episcopo
Tunc Mediolani
Clamatur a populo,
Perfidis Ariani,
Tunc magna seditio
Fuit in vulgari.

Responsoria.

1. Propter intolerabiles
Rerum curam mundanarum,
Recusabat praesulatum
Suscipere Mediolanensium,
Sed victus prece populi
Jugum suscepit Domini;
V. *Nec fecit proximo suo malum et opprobrium non accepit adversus proximos suos.*

2. Directus est vir inclitus
Mediolanum,
Ut Arium destrueret,
Splendor ecclesiae,
Claritas vatum,
Infulas dum gerit saeculi
Acquisivit paradisi.
V. *Dictum enim fuerat proficiscenti: vade, age non ut judex sed ut episcopus.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum audisset populum
multum murmurantem
Volentem episcopum
ac inde clamantem,
Vitansque periculum
perrexit ovanter.
2. Ingressus ecclesiam,
ut seditionem
Moveret de populo
sibi incumbentem,
Clamatur a puero:
habemus regentem.
3. Ambrosius strenuus
erit noster rector
Eritque episcopus
nosterque defensor
Mediolani populi
verusque protector.
4. Ad hanc vocem populus
Mediolanensis
Stetitque perterritus
stupore vehementi,
Cum clamat puerulus
clamore ingenti.
5. Cernunt per ecclesiam
cura diligenti,
Invenire Ambrosium,
ipsoque latenti
Nuntiatur praesuli
salus suae gentis.

Brev Forojuliense imp. Taurini 1495. — Alle vorstehend fehlenden Teile prosaisch.

## 5. De sancto Apro.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Sanctus Aper jejunando,
In vigiliis orando,
Laboribus insudando
Gratiam obtinuit,
Quique fidem praedicando,
Caritatem amplexando
Et virtutes operando
Et in his perseverando
Gloriam promeruit
V. Et mala sustinuit
quam plurima, mortificando
Carnem, quam animae
vult subjici vigilando.

2. Sanctus Aper, vitae via,
Elegit mundi dulcia,
Ut confunderet fortia,
Mundum, carnem, daemonia
Vicit, sicut legitur,
Non sine continentia
Nec sine patientia
Atque perseverantia,
Tam perfecta victoria
Esse facta creditur,

V. Sicut in historia
Sanctae vitae reperitur
Ejus in ecclesia
Rurali, qua sepelitur.
3. Aper, unus viatorum
De numero confessorum
In medio peccatorum
Obiit feliciter,
Sequens vitam perfectorum,
Qui per manus angelorum
Elevatus supra chorum
Ecclesiae supernorum
Per saecula saeculorum
Gaudet aeternaliter.
V. Secutus iter sanctorum
Patronus catholicorum
Nos faciat pariter
Sedes intrare polorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Justum deduxit Dominus
Per vias rectas fidei
Et ei nihilominus
Apparuit regnum Dei.
2. Amavit Dominus eum
Plenum divinae gratiae
Et, quia dilexit Deum,
Induit stola gloriae.
3. Justus non saturabitur
Sequendo Dominum suum,
Ideo coronabitur
Et vivet in perpetuum.
4. Beatus servus patiens
Redargui non poterit,
Quem Dominus adveniens
Vigilantem invenerit.
5. Iste confessor Domini
Amavit poenitentiam,
Qui gratiam dat homini
Et paradisi gloriam.

Ad Benedictus.

A. Servus bonus et fidelis
Supra multa constitui
Promeruit et in caelis
Gaudium Domini sui
Et ipsius conspectui
Adsistere cum angelis
Et cum sanctis archangelis
Dei visione frui.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sacerdos et non pontifex,
Pastor bonus in populo,
Miraculorum artifex
Migravit ab hoc saeculo,
Ut in mortis articulo
Succurrat nobis opifex,
Ne peccatorum carnifex
Nos ruat in piaculo.

Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. — Das Officium folgt dem Commune mit Ausnahme des vorstehenden. — In 2. Noct. R 1, 13 vult ergänzt. — R. 3, 12 Patronus ergänzt. — In Laud. A 2, 1 eum Dominus.

## 6. De sancto Arigio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Argi,
gemma pontificum,
Clemens preces
exaudi supplicum,
Redde nobis
Christum propitium,
Omne nostrum
deterge vitium,
Posce nobis
vitae subsidia
Et post finem
coeli palatia.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultantes jubilemus
Atque Christum adoremus,
Qui Arigium consecravit
Et in coelis coronavit.

## In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Concelebrat ecclesia
Arigii solemnia,
Cujus beata merita
Deo probantur placita.

2. Iste sub annis teneris
Docendus datus literis
Vas aptum Dei gratiae
Rivos haurit primitiae.

3. Bonae spei puerulus,
Ad omne bonum sedulus,
Crucis sequens supplicia
Contempsit mundi gaudia.

Responsoria.

1. Cantibus hymnidicis
festum celebrate, fideles,
Quo pater Arigius
victor migravit ad arces
V. *Haec est dies, quam fecit Dominus, exsultemus et laetemur in ea.*

2. Jam puerile decus
transcendens moribus annos,
Pectore cujus inest
placido deitas habitatrix.
V. O magnum puerum
senioribus anteferendum!

3. Dum vir beatus pluribus
Coruscaret virtutibus,
Ex divino imperio
Donatur pontificio,
V. *Offerre Deo incensum dignum in odorem suavitatis.*

## In 2 Nocturno.

Antiphonae.

1. Nivernis his temporibus
Vanis ancillans cultibus
Crucis Christi mysteria
Ridebat veri nescia.

2. Contra hujus perfidiam
Sanctus gerens militiam,
Ut signa Christi protulit,
Ritus profanos expulit.

3. O mira Dei gratia,
O laudanda potentia,
Qui per fidelem famulum
Tantum convertit populum.

Responsoria.

1. Dum praedicat Arigius,
Cedit rebellis Vernius
Et, quos arma nequiverant
Domare, verba superant.
V. Cunctis patet catholicis
Virtus sancti pontificis.

2. Ut bene confligat,
sanctus sua membra fatigat
Orando, flendo,
jejunia longa trahendo,
V. Nocte vigil tota
solvens Domino pia vota.

3. Vir illustris Arigius
Non cessabat attentius
Verbi divini pabulum
Erogare per populum,
V. Prudens servus callens dare
Cibum conservis congrue.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Antistes pauper opibus
Spargens dabat pauperibus,
Quidquid habere poterat,
Sicut Christus praeceperat.

2. Complens mandatum Domini
Opem negabat nemini,
Exemplum dabat moribus
Omnia factus omnibus.

3. Virtutum fretus tegmine
Sub trinitatis nomine
Fugabat hostes penitus
Ut miles imperterritus.

Responsoria.

1. Tuis, pater, precatibus
Adjuva nos in omnibus,
Ut laeti sorte prospera
Transeamus ad aethera,
V. Emunda nos a sordibus
Adornando virtutibus.

2. Miles Dei dimicans
Indefessis viribus
Venerat ad bravium
Positum certantibus,
Cum victorem, qui tam ferox
Hostes superaverat,
Palma vitae decorare
Rex coelestis properat.
V. *Justus Dominus et justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus.*

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ubi fessus est vir sanctus
• vetustatis senio,
Jubet eum revocari
Christus ab exsilio.

2. Christi confessor illico
Sacro sumpto viatico
Laetus exspectat exitum
Christo commendans spiritum.

3. Angelici proceres
cum laudibus advenientes
Suscipiunt animam
sancti tibi, Christe, ferendam.

4. Tibi sane, Dicetia,
Dei refulsit gratia
Ditato longo tempore
Beati viri corpore.

5. Arigium laudet,
qui Christi nomine gaudet,
Laudet Nivernis,
per quem sociata supernis.

Ad Benedictus.

A. Alme pater, petimus,
fer opem nobis miseratus,
Nam Christo junctus
palmaque coeli decoratus
Servorum potis es
cunctos abolere reatus
Et dare felices
animis super astra volatus.

Brev. ms. Nivernense saec. 15. Cod. Dolan. 41. A. — Grad. ms. Nivernense anni 1532 Cod. Parisin. 908. B. — In 1. Noct. **A** 3 2 Ad omne bonum ergänzt, da dieselbe Lücke in AB. — In 2. Noct. **R** 1, 2 Dedit repellit Vernius A. — In Laud. **A** 4, 1 Disesia (Decize, Nièvre) AB. — Ad Ben. **A**, 5 potens es B. — In 2. Vesp. **A** ad Magn. wie in 1. Vesp.

## 7. De sancto Auspicio.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Christe, salus omnium
Et certa spes credentium,
Qui cum fideles visitas,
Operibus mirificas
Et das in te sperantibus,
Ut regnent in coelestibus,
Concede cum Auspicio,
Pontifice clarissimo,
Nos perfrui consortio.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem,
Angelorum dominum,
Qui coronat in excelsis
praesulem Auspicium.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Auspicius
Manens in Dei legibus
Dedit fructum justitiae
Vivens in suo tempore.

2. Primaevo cultu temporis
Imbuitur literulis,
Electus in ecclesia
Praecepta Dei praedicat.

3. Inde sacratur gradibus
In divinis ordinibus,
Praeficitur in populo,
Salus et benedictio.

Responsoria.

1. Hodierna die festum
venerandum populo
Celebremus recolentes
sancto cum Auspicio,
Quem meruimus habere
primum datum praesulem,
Ideoque hunc precamur
nos omnes in invicem,
Ut pro nobis intercessor
Christum det placabilem.
V. Ecce primus pastor noster
atque martyr inclitus,
Quem pro fide coronatum
Christo junctum credimus.

2. Hic primaevo datus flore
juvenili robore,
Satis clara satus stirpe
Romanae prosapiae,
Decoratus venustate
suo est in tempore,
Quem Nereus educavit
Achilleo comite
Et uterque dat renasci
in sacro baptismate.
V. His instructus eunuchis
sacris est in literis
Procul pulsis confidenter
Romanorum studiis.

3. Erat Romae papa clarus
Clemens et sanctissimus
Eruditus in doctrina,
vir sapientissimus,
Ad quem ultro est adductus
hic noster Auspicius,
Ut ab eo sublimetur
in sacris ordinibus;
V. Illum Clemens, ut agnovit
prudentem et providum,
Adoptavit sublimandum
velut pater filium.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Signatus Dei lumine,
Sancto sacratur ordine,
Ut solvat sacrificium
Pro populo ad Dominum.

2. Intravit domum Domini
Juxta praeceptum debiti,
Scuto protectus fidei
Coronam regni meruit.

3. Paulominus ab angelis
Effectus est mirabilis,
Palma datur et laurea,
Locatur super omnia.

Responsoria.

1. Infantulum papa Clemens
tradidit altaribus
Et monendo confirmatum
destinavit gentibus,
Quibus suadet doctrinam
renovandis fontibus,
Ut agnoscant Christum passum
in cruce pro ovibus;
V. Hoc praecepto rudis pastor
et Christi clientulus
Ordinavit se committi
paucis cum sodalibus.

2. Hic profectus non cessabat
praedicare populum,
Quem videbat pervagari
per arva erroneum

Et monstrabat viam vitae
eunte m ad Dominum,
Sic pervenit destinatus
ad cives Aptensium;
V. Ubi coepit praedicare
nomen Christi civibus,
Circumquaque crediderunt
plurimi de gentibus.

3. Introgressus civitatem
vir Dei Auspicius
Coepit fidem trinitatis
demonstrare gentibus,
Deum patrem, Deum Christum,
Deum sanctum spiritum
Et in his tribus personis
unum esse Dominum,
Et non posse separari
in usia solidum;
V. Unum Deum, unam fidem
in uno baptismate,
Unctionem percepturi
sacrosancto chrismate,
Praedicamus, quod tenemus,
et vos ita credite.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ingressus sine macula
In Christi tabernacula
Gaudens semper laetabitur
Et jam non commovebitur.

2. Tuum praevenit, Domine,
Positio dulcedinis
Auspicium pontificem
Unguento sacri ordinis,
Cui vitam das perpetem,
Tu dona nobis requiem.

3. Auspici, sacer, innocens,
In Dei regno praepotens,
Qui regnas cum martyribus,
Vicisti cum victoribus,
Succurre nobis omnibus
Et da quieta tempora,
Qui tenes ampla saecula.

Responsoria.

1. Crescit fides, credunt gentes
praedicante praesule,
Destruuntur infideles
cultus idolatriae,
Et ut Dominum adorent,
fundantur ecclesiae;
V. Populus fidelis factus
laetatur in Domino,
Et gaudent credentes Christum
docente Auspicio.

2. Nuntiatur hoc iniquis
Romanis principibus,
Quod virtutes operatur
pontifex Auspicius,
Mittunt quosdam saevientes
cum nequam lictoribus,
Ut adorent cives deos
repletos daemonibus,
Sin plectatur primum pastor
cum suis sequacibus;
V. Hac de causa pius praesul
captus in concilio
Jussus est, ut det libamen
nefas sacrificio,
Quod persolvunt summi reges
Romano palatio.

3. O athleta, Christi miles,
bellator fortissime,
O Auspici, agonista
et martyr egregie,
Qui graves inter pressuras
dimicasti fortiter
Et vicisti per triumphum
hostes mirabiliter,
Tu exora Christum regem
pro nostra miseria
Et conjunge tibi servos
in coelesti gloria;
V. Jam securus de te ipso
in coelesti curia,
Esto sollers de conservis
positus in gloria,
Quos adhuc contristat mundus
per damna communia.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Post laudandum vitae cursum
praesulis Auspicii
Et agonem jam perfectum
martyris egregii
A Christo, cui servivit,
concessa victoria
Coronatur vir beatus
in coelesti gloria.

2. Laude data matutina
nostro cum Auspicio
Jubilemus omnes simul
Christo regi Domino,
Qui beatum sublimavit
in aeterno solio.

3. Ecce, martir, quae dilexit,
solvens exercitia,
Gloriatur supra coelos
percepturus praemia,
Deum nostrum deprecetur
per sua suffragia,
Ut det nobis, quae meretur,
gratis beneficia.

4. Hymnum cantemus Domino
Beato cum Auspicio,
Quem cecinerunt pueri
Fornacis in incendio
Et vincunt regem pessimum
Benedicentes Domino.

5. Perfecta laus angelica
Virtute datur coelica,
Hanc angelorum concio
Ac justorum devotio
Persolvit cum Auspicio
Regi sanctorum domino,
Hic conjungatur populus
Fidelis sanctis omnibus.

Ad Benedictus.

A. Venerantes praesens festum
beati pontificis
Persolvamus laudes Christo
cum devotis populis
Et precemur supplicantes
praesulem Auspicium,
Ut pro nobis preces fundens
deprecetur Dominum,
Quatenus jungi possimus
illi in perpetuum.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Jam, pastor noster, hodie,
Auspici, praesul inclite,
Festum colentes refove,
Pro nobis omni tempore
Ora, ut Christus Dominus
Factus nobis propitius
Tuis orationibus
Jungat suis fidelibus.

Brev. ms. Aptense saec. 14. Cod. Avenionen. 126 (482). A. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. B. — In 1. Noct. R 1, 7 hunc fehlt B. — In 2. Noct. R 1, 7 Et agnoscant B. — In 2. Vesp. Ad Magn. A, 5 Deus Dominus B. — Hymnen: in 1. Vesp.: Hoc rite festum gentibus; ad Noct.: Hoc in festo decus omne; in Laud: Summi pontificis festus in orbe.

## 8. De sancto Avito.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

Laude digna Deo digni
Aviti praeconia
Recolimus creatori
referentes gratias,
Quo auctore mundi pompa
funditus postposita
Triumphator ad superna
sublimatur gaudia.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus igitur Avitus
optima prosapia
Oriundus in tellure
fertur Aquitanica.

2. Sed futurus qualis foret
actu et eloquio,
Praemonstratur ejus plane
ortus in articulo.

3. Splendor ejus ingens omne
collustravit thalamum
Nocte, qua enixa fuit
gaudens mater puerum.

Responsoria.

1. Gloriosi confessoris
Aviti praeconia
Haec ad summi laudem regis
attollat ecclesia
V. Virtutesque, quas per illum
gessit, et miracula.

2. Sed quia nobilitatur
plurimum nativitas,
Sancti viri digeratur
et genus et patria,
V. Quo narrandi inde fides
facilis proveniat.

3. Sanctus igitur Avitus
optima prosapia
Oriundus in tellure
fertur Aquitanica,
V. Pugnaturus contra hostis
antiqui versutias.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui renatus sancto fonte
tenerrime colitur
Studiisque literarum
sacrae legis traditur.

2. Hic adultus resistendo
mundi petulantiae
Sese totum mancipabat
caelebs castimoniae.

3. Jamque sacris exornatus
undique virtutibus
Militare satagebat
Christo solitarius.

Responsoria.

1. Splendor ingens circumquaque
collustravit thalamum
Nocte, mater qua enixa
fuit Dei famulum,
V. Prae fulgore prosternuntur
plures circumstantium.

2. Hic futurus qualis foret
actu et eloquio,
Praemonstravit ejus plane
ortus in articulo,
V. Quo sanctorum dignabatur
futurus collegio.

3. Dum quidam sanctum
per noctem mutus Avitum
Nutibus et crebro
mugito deposceret ignem,
Cum rutilo planam
retulit facis igne loquelam.
V. Collaetare, viro
provecta Neustria tanto,
Cujus ab eloquio
geminato munere pastor
Cum rutilo planam
retulit facis igne loquelam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tonsus ergo comam more
clericali habitum
Saeculi calcato luxu
suscepit monasticum.

2. Spiritalis obedire
patris jussis [sedulus]
Nitebatur et divinae
legis jussionibus.

3. Singularis debellare
hostem nefandissimum
Cupiens ad concupitum
convolavit eremum.

Responsoria.

1. Decedente Maximino
patre ab hoc saeculo

In ejusdem subrogatur
Avitus coenobio,
V. Quamvis tali vehementer
obstaret negotio.

2. Erat quidam in eodem
monachus coenobio,
Qui Avitus vocabatur
nomine ex proprio,
V. Quem adscivit sancto sanctum
Carlileffus socium.

3. Hunc coelestis retributor
vigilantem reperit
Braviumque repromissum
sanctis ei contulit.

4. Unde nostra supernorum
vocibus vox civium
Juncta mundi conditorem
benedicat Dominum.

5. Laus praeclara decoraque
Deo nostro resonet,
Hunc patronum qui tot signis
corruscantem exhibet.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Exornatus tot virtutum
signis et prodigiis
Sanctus vehi ad coelorum
regna jam promeruit.

2. Ejus autem in conspectu
coelos gaudens penetrat,
Cui devotus deservivit
semper in laetitia.

Ad Benedictus.

A. O virum ineffabilem,
Per omnia laudabilem,
Per quem tanta insignia
Miracula rutilant;
Hic ut nos coeli civibus
Suis adjungat precibus,
Proni rogemus supplices
Regem, qui cuncta possidet.

Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 7 Triumphatur. — In 1. Noct. **A** 2, 2 actu in eloquio. — In 2. Noct. **A** 1, 2 tenerrime tollitur. — In 3. Noct. **A** 2, 2 sedulus ergänzt. — **R** 3 prosaisch und de communi. —

## 9. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adest dies eximia,
Novae laudis materia,
Plaudat mater ecclesia
Et celebret cum gloria
Sanctae Barbarae gaudia,

2. Felix dies
Felix solemnium,
Quo pugnanti
Paratur bravium,
Lassae quies
Et pugnae praemium
Pro victoria.

3. Omnes ergo gratulemur,
Christi sponsam et precemur,
Ipsa nostri quod sit memor
In sponsi praesentia.

4. Insistentes tuae laudi,
O Barbara, nos exaudi,
Multum quidem sumus rei,
Nos defende, sponsa Dei,
Per tua suffragia.

5. Ut a culpis expiati
Resignemur deitati
Et divinae majestati
Resonemus alleluja.

Ad Magnificat.

A. Ave, martyr o Barbara,
Ave, virgo Deo cara,
Ave, splendens poli gemma,
Quae cum morte speciosa

Et cruoris tui rosa
Laetaris inter coelicos,
Tuo nos patrocinio
Illorum junge gaudio,
Quorum gaudes consortio.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Eja, venite, Deo
jubilandum carmine vero
Virginis in festo
jam Barbarae celebrando.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Generosae Christi sponsae
Barbarae solemnia
Digna cum devotione
Celebret ecclesia.
2. Quae gentili patre nata
Summi patris gratia
Abundanter est ornata
Statim ab infantia.
3. Pulchra fuit exterius
Decore faciei,
Sed pulchrior interius
Ex amore Dei.

Responsoria.

1. Beata virgo Barbara
clara fuit genere,
Sed mentis erat honestate
clarior et opere,
Pie Christo nam servire
studebat sumopere.

V. *In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte.*

2. In aetate tenera
Mundi despexit florem
Et concupivit aspera
Christi ob amorem,
Quod potuit nulla
nisi sacro pneumate fulta.

V. *Fundamenta suarum virtutum posuit supra firmam petram.*

3. Propter elegantiam
speciei mirae
Cupiere plurimi
illius subire
Amplexus, hinc patrem
coepere convenire,
Sed his virgo Domini
sprevit consentire.

V. *Longe a peccatoribus salus, quia justificationes Dei non exquisierunt.*

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cujus pater propter sui
speciem egregiam
Impendebat illi tantam
curae diligentiam,
Ut aegre sufferet, illam
si videret quispiam.
2. Quapropter turrim arduam
ille fabricavit,
Qua peracta suam prolem
in ea locavit,
Atque ab hominibus
illam sequestravit.
3. Ubi sola recubans
Deum exoravit
Atque corpus tenui
victu maceravit,
Sicque carnem macerando
spiritum roboravit.

Responsoria.

1. Una dierum de turri
haec in natatorium
Descendebat, ut videret
novum aedificium
Et artificibus jussit
tres fenestras struere,
Ubi duas jussu patris
debuerant facere.

V. *Ad laudem divinae majestatis et figuram individuae trinitatis.*

2. Haec famula Jesu Christi
multa mira gessit,
Signum crucis et marmori
digito impressit,
Quod nunc et in perpetuum
omnibus patescit.

V. *Mirabilis Deus in sanctis suis et gloriosus in omnibus operibus suis.*

3. Inclita martyr, ave,
spes nostra decusque suave,
Nobis esse bona
digneris ubique patrona,
Ut tibi jungamur
et coeli sede fruamur.

V. *Tribulationes nostrae multiplicatae sunt, de necessitatibus crue nos.*

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut novit Dioscorus,
quod esset Christiana
Sua nata, monet hanc
idola quod vana
Coleret, quae coluit
dignitas Romana.

2. Sed hoc quia respuit,
multis est afflicta,
Sed virtute Domini
permansit invicta,
Quousque manu patria
fuit ense icta.

3. Quae coelis tripudias
cum triumphi palma,
Pro nobis ora jugiter
Christum, martyr alma.

Responsoria.

1. Sancta virgo, Domini
solamine adjuta,
Cultores idolatriae
sic est allocuta:
Dii vestri sunt idola,
manufacta, muta,
Quae nullo incendio
possunt esse tuta.

V. *Similes illis fiant, qui faciunt ea et omnes, qui confidunt in eis.*

2. Dilectae sibi Barbarae
carceris angustia
Maceratae et discerptae
nervis nocte media
Apparuit Jesus Christus
claritate nimia,
Dicens illi: constans esto
et laetare, filia,
Ego sum, pro quo tam dura
sustines supplicia.

V. *In admiratione adspectus illius attonita, coeleste percepit oraculum.*

3. Hodie virgo Barbara
de sinu ecclesiae
Migravit ad coelestia
cum palma victoriae,
Cui, animam dum reddidit,
gaudium coeli intulit.
In istius transitu
sanctorum exsultat chorus
Supernorumque civium
congratulatur exercitus,
Ipsa nobis ejus sponso
petat dona veniae,
Ut cum ea visione
perfruamur gloriae.

V. *Immortali vere coronatur gloria, quae manens in corpore spiritus beati gratia redundavit.*

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Pangamus celebres
solemni carmine laudes
Barbarae festo
Christi testis venerando.

2. Munditia cordis
omni sine labeque sordis
Servivit Christo,
dum corpore vixit in isto.

3. Ut Deus inveniat
semper sibi nos vigilantes,
Barbara sancta, tua
prece te serva venerantes.

4. Dulcis amica Dei,
signis ornata trophaei,
Hunc, per quem vicit
mundum, Dominum benedicit.

5. Laudet de caelis Dominum
plebs quaeque fidelis,
Laudat sidereis
quem Barbara juncta choreis.

Ad Benedictus.

A. O Barbara, virgo pia,
Protectrix precantium,
Quae jam gaudes in gloria
Supernorum civium,
Servis tuis in hac via
Tuum da subsidium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Hodie virgo Barbara
de sinu ecclesiae
Migravit ad coelestia
cum palma victoriae,
Ipsa nobis ejus sponso
petat dona veniae,
Ut cum ea visione
perfruamur gloriae.

Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. — In 1. Noct. R. 3, 5 lies hujus patrem? — In 3. Noct. A 3, 5 manu prima.

## 10. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, mater ecclesia
Festum colendo Barbarae,
Nam tota coeli curia
De tali gaudet compare.

2. Haec satrapae Dioscori
Nata pagani divitis
Fidem insertam pectori
Factis ostendit inclitis.

3. Virgo carens maculis
Pollebat serenis
Columbarum oculis
Turturisque genis.

4. Hujus par est lilii
Facies decora,
Vox in aure Domini
Dulcis et sonora.

5. Ardens ejus dilectio
Non est aquis exstincta
Nec obruta de fluvio,
Licet his esset tincta.

Ad Magnificat.

A. O pulchra praecipuum
Rosa dans odorem,
Florens in perpetuum
Ante creatorem,
Concupivit speciem
Tuam rex coelorum,
Perduc nos ad requiem,
Barbara, sanctorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jubilemus summo Deo,
Qui bona dat omnia,
Qui donavit cum trophaeo
Barbarae coelestia.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Forma pulchra splenduit
Quasi lux diei,
Falsos deos respuit
Cultrix veri Dei.
2. Formae decus superat
Morum disciplina,
Quibus se confoederat
Gratia divina.
3. Ut baptista pascitur
Melle cum locustis,
Coelum, quod vim patitur,
Rapit factis justis.

Responsoria.

1. Virgo fide
pollens et gratia,
Praepotentis
pagani filia,
Rosa, spinae
germen purpureum,
Durum spinae
sentit aculeum;

V. Virgo caesa
paterno gladio
Rosam jungit
pudoris lilio.

2. Celsa pater
in turri filiam
Formae claudit
ob elegantiam,
Cujus ornat
decorem castitas,
Consummat caritas.

V. Haec est sole
virtute pulchrior,
Quovis flore
vultu venustior.

3. Pater offert
Barbarae nuptias
Juxta mundi
fastum eximias,
Obstat sponsa
coelestis Domini,
Ne nubat homini.

V. Subarrhata
Christo per annulum
Spernit omni
cum pompa saeculum.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Patris in aedificio
Natae fiunt imperio
Tres fenestrae, non geminae
Sub trinitatis nomine.
2. Binis fenestris tertiam
Ad trinitatis gloriam
Addit, quae fons est luminis
Et lumen omnis hominis.
3. Cum digito signaculum
Crucis impressit marmori,
Quod pulchrum dat specta-
culum
Adhuc fideli pectori.

Responsoria.

1. Fenestrarum
trium mysterium
Patri pandens
offendit impium,
Spatam ferens
illam insequitur,
Supra montem
orans incipitur,

V. Pastor fugae
dum dat indicium,
In locustas
grex datur ovium.

2. Datur a patre praesidi
Crucianda Christicola,
Sed quidquid agant perfidi,
Flecti nequit ad idola.

V. Caedunt sanctam,
abscindunt ubera,
Flammis urunt
lampadum latera.

3. Christus, lux vera, visere
Cum luce lucis filiam
Caesam et clausam carcere
Venit consolans anxiam;

V. Tecum ero,
inquit, te faciam
De tyranno
consequi victoriam.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo candens
pudore niveo,
Caesa nervis,
percussa malleo
Decoratur
cruore roseo.

2. Gaudet torta
Barbara nimium,
Leve ducens
omne supplicium,
Ut perenne
mercetur praemium.

3. Patris passa
Barbara frameam,
Triumphalem
accepit lauream
Mansionem
intrans sideream.

Responsoria.

1. Saevus praeses
hanc cirumducere
Sanctam jubet
et virgis caedere,
Nudam vestit
per coeli nuntium,
Qui vestit lilium;
V. Sponsus amictus lumine
Vestit hanc almo tegmine.

2. Torta dire
redditur impio
Patri virgo,
caeditur gladio,
Caesae mors fit
natalis gloriae,
Vitae dies,
ortus laetitiae;
V. Caesa volat
ad coelos Barbara,
Caedens ustus
ruit ad tartara.

3. Honor Deo
Pro trophaeo
Dato Barbarae,
Per quem adjuta
Est consecuta
Coeli chorum
Et summum bonum,
Signis splendens
Et virtutum jubare.
V. Coeli laeta
Mensa freta
Debriatur
Divino nectare.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Summi regis clementiam
Vox una laudat omnium,
Qui Barbarae victoriam
Dedit et caesae praemium.

2. Votis invincibilis
Amoris adstricta,
Nullis est in fragili
Sexu poenis victa.

3. Suos Deo moriens
Memores commendat,
Ut eos inspiciens
Gratiam impendat.

4. Vox de coelo nuntiat,
Ipsam exauditam,
Invitans, ut veniat
Ad beatam vitam.

5. Coeli potitur gaudiis
Peracto trophaeo,
Signis coruscat variis
Beata cum Deo.

Ad Benedictus.

A. O decoris viola,
Paradisi planta,
Te duplex aureola,
Virgo martyr, sancta

Barbara, cum aurea
Coronat insigni,
Fac, ut coeli laurea
Nos reddamur digni.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, virgo mitis, clara
Signis et virtutibus,
Bonis Dei Deo cara
Perfruens perennibus,
Agnum sequens novum cantas,
Barbara, jam canticum,
Nos per preces perduc sanctas
Ad conventum coelium.

Brev. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianen. 113. A. — Brev. ms. Aquicinctense saec. 15. Cod. Duacen. 158. B. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. C. — Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. D. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1552. E. —

B bietet das Officium in forma monastica. — CD beginnen mit A ad Magn.; E hat in 1 Vesp. super Ps. die **AA** Barbara virgo Dei etc. Vgl. Nr. 11; ad Magn. **A** lautet in E:

Ave, Barbara, coelorum
Virgo regis angelorum,
Post Mariam flos virginum
Velut rosa vel lilium,
Funde preces ad Dominum
Pro salute fidelium.

In 3. Noct. **A** 1, 1 Virgo carens C. — **A** 2, 6 mereatur CE; mercatur D. — **R** 1, 1 Servus E; hanc fehlt CD. — Hymnen: in Vesp. et Noct.: Beata nobis gaudia; in Laud.: Gratuletur ecclesia CD; in Vesp.: Gratuletur ecclesia; ad Noct.: Prima mundi divisio; in Laud.: Ave sponsa Christi ABE.

## 11. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Barbara, virgo Dei,
virtute probata trophaei,
Igne flagrans fidei
sacrat hujus festa diei.

2. Virgo fide sana,
de stirpe creata profana,
Gaudia mundana
postponit et idola vana.

3. Carceris horrore
Roseo perfusa cruore,
Lampadis ardore
Patitur cruciata dolore.

4. Ubere truncata,
vestimentis spoliata,
Haec deollata
transcendit regna beata.

5. Barbara morte bona
Vitae redimita corona,
Coelica dans dona,
Nos salves, sancta patrona.

R. Tibi, trinitas beata,
Sit laus omni tempore,
Per quam tria sunt collata
Dona piae Barbarae:
Amor, spes et fides rata,
Quibus pollens prospere
Trinitatem est testata
Ore, corde, opere.

V. Tres hostes tria proelia:
Mundum, carnem, daemonia
Triumphat trina filia.

Ad Magnificat.

A. Ave roris nubecula
Elevata per saecula,

Super nos tu rora,
Sponsi dum capis oscula
In sempiterna saecula,
Pro nobis exora.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jesum, sponsum Barbarae,
In coelesti jubare
Venite adoremus.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirae prolem indolis
Dioscoro natura
Providet, sed idolis
Profanis offert thura.

2. Impensis ac praesidiis
Paternis turris conditur,
Ubi proles insidiis
Virilibus absconditur.

3. Cum filiae nobilium
Amores pater innuit,
Mox provida conjugium
Se Christo vovens renuit.

Responsoria.

1. Hinc profectus ad extera
Pater turris opera
Mandat architectis,
Virgo descendit Barbara,
Complens et ornans opera
Rebus nondum perfectis;
V. Ad honorem trinitatis
Jubet Dei nuntia,
Ut fenestris jam paratis
Binis adsit tertia.

2. Ecce, factum laude dignum,
Indelendum crucis signum
Marmoreo in silice
Sponsa Christi benedicta,
Omni morum luce picta,
Sacrato sculpsit pollice;
V. Laudantes miraculum
Corde sunt compuncti,
Hoc crucis signaculum
Intuentes cuncti.

3. In Barbara spes solida
Sit, si quem dolor ingruit,
Nam salvatori placita
Pede figuram imprimit
In domus suae absida,
Quae morbos graves reprimit;
V. Sic probatica piscina
Siloë natatoria
Languidis est medicina
Et pestis purgatoria.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ubi virgo baptizata
Per spiritum renascitur,
Et baptistam imitata
Melle silvestri pascitur.

2. Alma Dominum induta
Facta fervens Christicola,
Turrim arcis scandit tuta
Patris spuens idola.

3. Lente redit et proponit
De fenestris quaestionem
Pater, quam doctrix exponit
Fidei dans rationem.

Responsoria.

1. Exlex paratus sceleri
Natam tentat occidere,
Incessu virgo celeri
Mox evolat cum marmore,
Sed hanc gregis lanigeri
Pastor non timet prodere;
V. Vindicat hoc conditor
Puniendo juste,
Nam marmor fit proditor
Ovesque locustae.

2. Patris in prolem flagella
Saeviunt asperrima,
Flagellatam stricta cella
Claudit et asperrima,

Ad judicium vocatur,
Deum verum protestatur,
V. Toto mentis impetu.
Deos detestatur,
Uti gressu spiritus
Quibus denegatur.

3. Caesa diro verbere
Effuso madet sanguine,
Clausa taetro carçere
Resperso gaudet lumine,
Praesentis in examine
Christi praestans solamine;
V. In Christum confidit
Erigens fiduciam,
Taliter elidit
Hostilem versutiam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christus fomes pietatis,
Coeli scandit palatia,
Sponsam fovent deitatis
Degustata solatia.

2. De obscuro prodit clara
Jussu tyranni Barbara
Praeses ait: Diis es cara,
Qui tua sanant vulnera.

3. Fortis respondit femina:
Dii gentium daemonia,
Nulla dant medicamina,
Sed Deus creans omnia.

Responsoria.

1. Praeses, quem furor indurat,
Jubet, ut ardens exurat
Lampas sponsae latera,
Martellis dehinc feritur
Caput et sic experitur
Ardores et verbera,
V. Regem invocans invictum
Flammas sustinet et ictum.

2. Caedis spirans et minarum
Adhuc praeses, vas irarum,
Accensus ad scelera,
In decore puellari
Ferus jubet amputari
Per tortores ubera,
Sed virgo devota
Fide stat immota;
V. Christus in mente virginis
Est turris fortitudinis.

3. Jussu virgo praesidis
Veste spoliata,
Flagellis a perfidis
Viris agitata,
Christum patrem luminis
Pie deprecata,
Candidi velaminis
Stola est velata;
V. Victima coelestis
manibus mactata scelestis,
Servet in his festis
laetos a turbine pestis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praeses poenis, fraudibus
Barbaram impugnat,
Virgo fide laudibus
Potenter expugnat.

2. Pater furens perfide
Natam venerandam
Recipit a praeside
De se jugulandam.

3. Ad salutem gentium
Orat virgo Deum,
Pie recolentium
Martyris trophaeum.

4. Virginis oratio
Christo confirmatur
Et ejus suffragio
Mundo salus datur.

5. A patre occiditur
Filia crudeli,
Et pater consumitur
Totus igne caeli.

Ad Benedictus.

A. Benedictus bellatorum
Dux ab ore viatorum,
A quo manat victoria,
Per quem Barbara suorum
Capit bravium bellorum
Tripudians in gloria.

In 2. Vesperis.

Prosa.

Virgo virens fide fida
Barbara connituit,
El colendum ista solum
Profatur, quo micuit.
Cui fidem spopondisti
Secum ad palatia
Vexit, pro quis sitiisti
Per longaeva spatia.
Te colentes hic in valle
Desperatos ne sine,
Sed hos vecta, ubi caeli
Canunt melos carmine.

Ad Benedictus.

A. Magnificet Dominum
Plebs fidelis hominum
Barbarae pro festis,
Per quam pater luminum
Nos mundos a criminum
Factis inhonestis
Post hunc ducat terminum
Ad gloriam agminum
Patriae coelestis.

Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Parisin. 17295. A. — Brev. Cameracense imp. Parisiis 1497. B. — Brev. Bisuntinum imp. s. l. et a. C. — Brev. Tornacense imp. 1497. D. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. 1516. E.

C bemerkt: Officium sequens beatae Barbarae non est de ordinario Bisuntino. — In 1. Vesp. **AA** super Ps. fehlen D. — In 3. Noct. **A** 1, 1 Christi fomes E. — Die Prosa in 2. Vesp. steht in A am Schlufs der 3. Noct. — Hymnen: Gratuletur ecclesia und: O lux beata trinitas.

## 12. De sancto Beato.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Funde preces, o Beate,
meritis et nomine,
Pro nobis, natale tuum
qui paramus colere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi sanctorum
referamus munera laudum,
Qui sublimavit
sanctum super astra Beatum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Principis apostolorum
doctorisque gentium
Praedicatione Roma
credidit in Dominum.

2. Tunc direxit sanctus Petrus
quosdam ex nobilibus
Huc illucque verbum vitae
praedicare gentibus.

3. Ex illis unus Beatus
nuncupatus exstitit,
Dignitate morum pollens
atque sacerdotii.

4. Servos, quos secum habebat,
libertati tradidit
Praeter unum, quem viarum
comitem retinuit.

5. Huic saepe versa vice
serviebat adeo,
Ut detraheret ab ejus
pedibus calceolos.

6. Hinc non uno stare loco
patiens diutius
Ad Nanneticam pervenit
urbem expeditius.

Responsoria.

1. Hic pro Deo distributa
facultate propria
Velut pauper et mendicus
adiit Aquitaniam,
V. Ut nobilitatis suae
declinaret gloriam.

2. In eundo verbis pluens,
corruscans miraculis
Per fidem multos gentiles
jungebat Christicolis,
V. Peregrinus namque mundi,
spiritu peragilis.

3. Cumque plurimis doctrinae
ministraret semina,
Non ab illis capiebat
corporis solatia,
V. Manuum labore vivens
lege eremitica.

## In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Et cum quaereret secreti
locum habitaculi,
In Vindocinensi pago
aptum esse didicit.

2. Illuc partim navigando,
partim pede properans
Homo Dei tandem venit
cum magna laetitia.

3. Illum locum habitabat
serpens multum pestifer,
Armis precum servus Christi
quem fugavit gnaviter.

Responsoria.

1. In Nannetis civitate
quam paucos fidelium
Invenit sanctus Beatus,
plurimos gentilium,
V. Ovibus Christi diversis
modis adversantium.

2. Affluente tunc doctrina
satians Christicolas
Imbuebat vera fide
paganorum animas,
V. Praedicationem suam
firmans per miracula.

3. Tunc coepit desiderare
vitam solitariam,
Ut soli Deo vacaret
mente devotissima,
V. Nam humana cupiebat
vitare consortia.

## In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Post munitus signo crucis,
constans et intrepidus,
Antrum cryptae nemorosae
desuper ingreditur,
V. Prope Ledum flumen situm,
rotundum interius.

2. Hoc in antro vitam egit
extunc solitariam,
Quam sollicitus per multum
temporis optaverat,
V. Evitata populari
gaudens illam inchoat.

3. Deinceps non evoluto
diuturno tempore
Circumcirca coepit ejus
dextra fama crescere,
V. Cujus meritis serpente
se protectos credere.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Postquam est ingressus cryptam
venerandus presbyter,
Corpus proprium tractare
coepit satis duriter.

2. Victus ejus herbae, radix
et aqua, post triduum
Raro panis sumebatur
ob solemne gaudium.

3. Urebatur sancta caro
aspero cilicio,
Acsi multa punienda
perpetrasset sedulo.

4. Totam fere noctem orans
ducebat pervigilem
Vixque modicam soporis
admittebat requiem.

5. Ad decrepitam aetatem
usque vixit taliter,
In qua vitam commutavit
Febre tactus leviter.

Ad Benedictus.

A. Huic sancto morienti
agmen coeli adfuit
Animamque duxit ejus
cum hymnis et canticis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Cumque corpus ejus esset
sepulturae traditum,
Receperunt illic multi
sanitatem corporum.

Brev. S. Trinitatis Vindocinen. imp. Vindocini 1514. — In jeder Nokturn ist ein R de communi, ebenso die drei letzten AA der zweiten Nokturn und in der dritten die A ad Cantica. — In 1 Noct. A 3, 6 eremitica lege.

## 13. In Revelatione s. Benigni.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, gaude,
fidelis concio,
Adest tibi
gaudendi ratio,
Nam Benignus
martyr cum gaudio
Pleno coeli
potitur praemio,
Sed tu magis
laetare, Divio,
Tanti sancti
clarus martyrio.

R. Dum divinum semen serit,
Ab iniquis capitur,
Caput vecte lictor ferit,
Sanguis sancti funditur,
Sic injuste justus perit,
Dum pro fide moritur;

V. Nunc membrorum ejus massa
In decenti quadam cassa
Digne valde ponitur.

Ad Magnificat.

A. Transit martyr
ad regni solium,
Jam fons prius
crevit in fluvium,
Nunc coeleste
gustat convivium
Christi servus
intrans in gaudium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt mirifici
Benigni gaudia,
Laude multiplici
Plaudat ecclesia.

### In 1. Nocturno.

Antiphouae.

1. Praeco magnus de Graecia
Missus est in Burgundiam,
Dare nobis coelestia
Regna per poenitentiam.

2. Fervens desiderio
Dignus habebatur
Fungi sacerdotio,
Quod exsequebatur.

3. Documentis nititur
Erudire bonis
Gentes, dum ingreditur
Castrum Divionis.

4. Sub Polycarpi regula
Mente profecit sedula,
Tandem fidem catholicam
Docet et apostolicam.

5. Agonizat
pro Christi nomine
Martyr plenus
divino lumine,
Nullo fractus
prorsus discrimine.

6. Sanctus pro Christo dimicans
Confisus est in Domino,
Praeceptum Dei praedicans
Ore quasi tubicino.

Responsoria.

1. Mundum vocans
ad agni prandium
Hora coenae
Deus, rex omnium,
Servum mittit
dans ei socium
Sanctum Andochium;
V. Ad hoc officium
Benignus mittitur,
Istud negocium
Laetus exsequitur.

2. Calcans mundum
sub suis pedibus
Sanctus fidem
declarat gentibus,
Cujus virtus
apparet omnibus
Christi fidelibus;
V. Vita bona,
mors, signa varia
Hujus sancti
demonstrant praemia.

3. Dispensator providus,
Inclitus bellator,
Circuit ut callidus
Nocturnus circator,
Idolorum rigidus
Semper impugnator,
Castitatis fervidus
Custos et amator;
V. Verbo, vita docuit,
Signis multis claruit
Doctus speculator.

4. Verbum vitae
dum palam loquitur,
Surgunt hostes,
martyr conquiritur,
Statim vinctus
ad ducem ducitur,
Nec sic subvertitur;
V. Inter canes
martyr includitur,
Sed ab illis
nequaquam laeditur.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quando missus fuit
sanctus cum canibus,
Cibat illum Christus
e coelo panibus.

2. Migrans coeli coetibus
Sanctus aggregatur,
In terris hominibus
Jam patrocinatur.

3. Postquam vitae stadium
Pugil consummavit,

Intrat coeli gaudium
Victor, quod optavit.
4. De bello victis hostibus
Miles probus regreditur,
Benignus spretis omnibus
Coelum dives ingreditur.
5. Benignitate praeditus,
Benignus plenissime,
Tandem dignus est habitus
Locari dignissime.
6. Jam martyr in gloria
Regnans cum beatis
Multa beneficia
Praestat sanitatis.

Responsoria.

1. Sanctitate
plenus et gratia
Dei servus
objurgat vitia,
Poenas suffert
et vituperia,
Nulla tamen
fractus injuria.
V. Subularum
fortes aculei
Hunc non mutant
a statu fidei.
2. Praeses nefandus ferculum
Sanctum cogit comedere
Creditque Dei servulum
Tali modo pervertere;
V. Cibo signo
crucis opposito
Cibus ille
vanescit subito.
3. Imperator
ut leo rugiens
Sanctum poenis
pulsat multotiens,
Sed Benignus
cuncta despiciens
Non mutatur
sicut insipiens;
V. Homo sanctus
in sapientia
Manet sicut
solis substantia.
4. Bina perfossus lancea,
Vecte percussus ferreo
Ex hac Benignus area
Coeli locatur horreo,
Stola gaudens purpurea
Sanctorum fulget cuneo.
V. Sicut botrus
martyr comprimitur,
Sic in coelum
justus deducitur.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Superans potentiam
Martyr tormentorum
Cumulum et gloriam
Monstrat praemiorum.

Responsoria.

1. Sicut granum
sinapis minimum
Martyr poenis
attritus plurimum
Nunc odorem
diffundit optimum
Et suavissimum;
V. In regionis terminis
Patet vis hujus seminis.
2. Expedito
de gravi fabrica
Carnis turba
plaudit angelica;
Martyr Dei,
Christo nunc supplica,
Ut nos ducat
ad regna coelica;
V. O Benigne,
per preces sedulas
Peccatorum
deterge maculas.
3. Sanctum suum mirificat
Christus novo miraculo,

Lucerna fulgens emicat
Diu latens sub modulo,
Quae virtutem magnificat
Salvatoris in populo;
V. O Christi benignitas,
Collaudanda quotidie,
Per quem Benigni bonitas
Demonstratur ecclesiae.

4. O quam digne quam laudari
Sanctus iste promeruit,
Dum pro fide cruciari
Et morti tradi voluit,
Quadam luce singulari
Nunc terris lumen influit;
V. Tu qui signis claruisti
In curandis corporibus,
Nos a morte serves tristi
Et a cunctis doloribus.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae
Christi cunctis fidelibus,
Quo Benigni reliquiae
Transferuntur cum laudibus.

2. Gemma sub terra latuit
Despecto jacens loculo,
Cujus virtus apparuit
Evidenter in populo.

3. Fulget in coeli gloria
Martyr cum beatis,
Multa beneficia
Praestat sanitatis.

4. Corpus sacrum, quod pluribus
Annis fuit sub nubilo,
Episcoporum manibus
Nunc transfertur cum jubilo.

5. Lingua, manu pariter
Martyr praedicavit,
Modo multipliciter
Signis coruscavit.

Ad Benedictus.

A. Carnis gleba
latens divinitus
Collocatur
modo decentius,
Hujus solis
refulgens radiis
Lumen suum
diffundit latius.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O martyr egregie,
Norma probitatis,
Rosa patientiae,
Ebur castitatis,
Roga regem gloriae,
Ut nos a peccatis
Absolutos hodie
Jungat cum beatis.

Brev. ms. S. Benigni Divionen. saec. 14. Cod. Parisin. (Arsen.) 274. A. — Brev. ms. S. Benigni Divionen. saec. 14. in. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 341 add. saec. 14/15. B. — In 1. Noct. R 2, 11 demonstrat varia B. — In 2. Noct. R 1, 1 et fehlt B. — R 4, 8 martyr conquiritur B. — In 3. Noct. R 3, 9 Qua per Benigni bonitas B. — Hymnen: In 1. Vesp.: Gaude, mater ecclesia; ad Noct.: Exsultet coelum laudibus; in Laud.: Hymnum novae laetitiae.

## 14. De sancto Blasio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O lucerna
sincerae fidei,
Cui sanctorum
congaudent cunei,
Tuo praesens
adsis solemnio
Et perenni
nos dita gaudio.

R. O virtutum luminare
praesigne miraculis,
Lumen Blasi singulare,
Salus in periculis,
Firmamentum salutare
Tuis esto servulis.
V. *Respice in servos tuos et dirige opera eorum.*

Ad Magnificat.

Salve, martyr,
vera salvatio,
Blasi, nostra
spes et protectio,
Nos a mundi
salva naufragio
Et mundatos
ab omni vitio
Tuo dignos
redde consortio.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad regem vitae
digna cum laude venite,
Qui coelo Blasium
sustulit eximium.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Urbe Sebastea
tua vernant, Christe, trophea,
Pro gustu calicis
qui magna rependis amicis.

2. Dei praeceptum praedicans
Hic Blasius enituit,
Quem rex vere magnificans
In monte sancto statuit.

3. Mirificasti, Domine,
Sanctum tuum in saecula,
Quem pro gregis regimine
Pontificali infula
Induisti.

Responsoria.

1. Quam felici,
Christe, commercio
Tuos ditas
quantoque gaudio,
In insigni
declaras Blasio,
Qui praesentem
diem martyrio
Consecravit.
V. *Gloria et honore coronasti eum, Domine.*

2. Sanctitatis
praefulgens lumine,
Ut fulgeret
lux in caligine,
Praesulatus
vir sanctus culmine
Sublimatur.
V. *Ut luceret omnibus in domo Domini.*

3. Requisitus
sanctus a judice
Christi fidem
fatetur publice,
Multo ergo
caeditur verbere,
Sed verberi
non novit cedere
Mens immota.
V. *In loco afflictionis suae confitetur nomen Dei sui.*

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Monte martyr
Argei conditus,
Nil ferarum
concursu territus,
Harum morbos
ad tactum penitus
Emundabat.

2. In monte civitas
tegi non potuit,
Nam rumor praesidi
de sancto patuit,
Qui sibi protinus
adductum voluit
Praesentari.

3. Tribunali
jussus adsistere,
Christi servum
se prodit libere,
Caesus ergo
jubetur carcere
Conservari.

Responsoria.

1. Trina sancto visione
Per noctem apparuit,
Deque sua passione
Dominus innotuit,
Dum sub tali jussione
Carnis suae voluit
Holocaustum.
. *Surge, Blasi, et offer mihi hostias, ut soles.*

2. A squalore carceris
vir sanctus educitur
Rursumque conspectui
praesidis exponitur,
Sed nec diis immolat,
nec terrore flectitur
Tormentorum.
V. *In Domino sperans non timuit, quid faceret sibi homo.*

3. Ad jussum praesidis
missus in flumine,
Se munit Blasius
crucis munimine,
Mox unda primitus
fluens et liquida
Sub sancti gressibus
stetit in arida.
V. *In mari viae ejus et semitae ejus in aquis multis.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Incessanter insistebat
Saluti fidelium
Martyr atque retrahebat
Ab errore gentium,
Dum ad fidem convertebat,
Parvulos gentilium.

2. Signa verbo sociata
erant in eo pariter,
Tabe mentis emundata
aegra caro similiter
Mundabatur.

3. Jam martyrum
consertus agmini,
Palma florens
in domo Domini
Tuos, Blasi,
fideles erige
Mores, actus
vitamque corrige.

Responsoria.

1. Sanctus mirabili
perfusus lumine
Sicco vestigio
exit de flumine,
Promisso coelitus
certus ex munere,
Gaudens et alacer
accedit propere
Ad coronam.
V. *Cupiebat enim dissolvi et esse cum Christo.*

2. Certanti sonuit
nuntius e caelis:
Amice Domini,
gaudeas, fidelis,
Veni et suscipe
bravium coronae,
Pro quo viriliter
sudans in agone
Decertasti.
V. *Calicem salutaris accipiens intra in gaudium Domini tui.*

3. O coelestis
senator curiae,
Fons dulcoris,
Blasi, et veniae,
Ad devotae
vota familiae
Condescendens
consortem gloriae
Fac perennis.

V. *Memor esto congregationis tuae nec obliviscaris ejus in finem.*

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mirabilis
in altis, Domine,
Qui decorem
cum fortitudine
Sancto tuo
dedisti Blasio,
Conregnanti
tecum in gaudio.

2. O fortis athleta
ad conspectum Christi,
Qui cum laetitia
victor introisti,
Nos ejus populum
et oves pascuae
In ejus atriis
tecum constitue.

3. Quam felix anima,
Quae Deum sitivit,
Ecce, nunc possidet,
quod diu cupivit;
Translatam hodie
hanc super aethera
Dei magnifice
suscepit dextera.

4. O beati
justorum spiritus,
Quibus martyr
adjunctus inclitus,
Deum voce
collaudans sedula
Benedicit
ei in saecula.

5. In sanctorum
exsultans gloria,
Mira, Blasi,
gaudens laetitia,
Novum Deo
decantans canticum,
Laudes audi
tuorum supplicum.

Ad Benedictus.

A. O jubar aeternum,
Blasi, jubarque supernum,
Regis coelestis
o fortis et inclite testis,
Respice servorum,
clemens advocate, tuorum
Et prece nos solita
labenti dirige vita.

### In 2. Vesperis.

R. Jam cursus felicis
expleto stadio
Athleta cervicem
supponit gladio,
Talentum cum lucro
reportans creditum,
Gaudentem in astris
intulit spiritum.

V. *A Christo centuplum accipiens pro terrenis coelestia comparavit.*

Ad Magnificat.

A. Magnificum salvatorem
Laudet omnis spiritus,
Ut Blasius det amorem
Sancti nobis spiritus,
Qui coelesti palatio
Fulgeat humanitus,
Illo nos ducat gaudio,
In quo regnat coelitus.

Brev. ms. Biterrense saec. 15. Cod. Parisin. 1059. A. — Brev. ms. Arelatense saec. 14. Cod. Parisin. 1285. B. — Brev. ms. S. Mauritii Viennen. saec. 15. Cod. Chigian. C IV 59 C. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552) D. — Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 136. E. — Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Avenionen. s. n. F. — Brev. ms. Tolosanum saec. 15. Cod. Tolosan. 74. G. — Brev. ms. Montis Jovis saec. 15. Cod. Valerian. s. n. H. — Brev. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Gebennen. ml. 36 b. I. — Brev. ms. Illerdense saec. 14. Cod. Capit. Illerden. 12. K. — Brev. ms. Illerdense anni 1451. Cod. Capit. Illerden. s. n. L. — Brev. ms. Illerdense saec. 15. Cod. Capit. Illerden. 44. M. — Brev. ms. Monasticum saec. 14. Cod. Scorialen. d IV 29. N.

Brev. Biterrense imp. Lugduni 1534. O. — Brev. Viennense imp. Lugduni 1498. P. — Brev. Vapincense imp. Vapinci 1499. Q. — Brev. Vasatense imp. Vasati 1530. R. — Brev. Augustanum (Aosta) imp. 15** S. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. T. — Brev. S. Petri Gebennen. imp. Lugduni 1556. U. — Brev. Illerdense imp. Ilerdae 1479. V.

In 1. Vesp. ad Magn. A prosaisch ACOP; Ave praesul honestatis etc. (Anal. XVII, 62) KLMV. — Invit. prosaisch AP; O regem vitae C. — In 1. Noct. **A** 1 Incessanter insistebat etc. B. — **A** 1, 2 tua veniat A. — **A** 1, 4 magna respondes A. — **A** 2 Signa verbo sociata etc. B. — **A** 2, 2 Hinc Blasius B, Huic Blasius P, emicuit BP. — **A** 3 lautet in B:

Admiranda virtus in Blasio,
Qua laetatur mater in filio,
Laetificans auspicis potio
Fuit causa.

**A** 3, 4 sq. induisti infula. A. — **R** 1 A squalore carceris etc. B. — **R** 1, 4 declarat B. — **R** 2 Ad jussum praesidis etc. B. — **R** 3 Certanti sonuit etc. B; Trina sancto etc. P. — In 2. Noct. **R** 2 Ad jussum praesidis etc. P. — **R** 3 O virtutum luminare etc. P. — In 3 Noct. **A** 1 in B:

Ad salutis fidum refugium
Concurrebat turba fidelium
Prece sanctus dolores omnium
Expellebat.

**A** 2 Jam martyrum consertus etc. B. — **A** 3 O lucerna sincerae etc. B; Admiranda virtus in Blasio etc. P. — **A** 1 Sanctus mirabili etc. B; Jam cursus felicis P. — **R** 2 Jam cursus felicis B; in P:

Deo placens atque gratissima
Tua, martyr, exstitit victima,
Dum post bella peracta plurima
Sacra coelos triumphans anima
Penetravit.
V. *Vestimento gloriae induit te Dominus.*

**R** 3, 8 Nos consortes A. — In Laud. ad Bened. **A**, 1 O fehlt C. — In 2. Vesp. **R** 1 cursu prospere felicis A. — Ibid. 3 Athleta Blasius A. — Ad Magn. **A** Salve martyr, vera salvatio etc. A; prosaisch C.

Dies Officium gehört wegen der weiten Verbreitung und den infolge derselben eingetretenen Veränderungen zu jenen, bezüglich derer es schwer fällt, den ursprünglichen Text herzustellen, da kein Faden ersichtlich ist, der die Reihenfolge der einzelnen Teile kenntlich machte. Augenscheinlich gehören die drei in den Noten stehenden Teile zu dem echten und ursprünglichen Bestand des Officiums. Wahrscheinlich nicht dazu gehören die drei **AA** der ersten Nokturn, die abweichendes Versmafs zeigen und nicht historischen Inhaltes sind, wie die andern **AA**, sich vielmehr auf die Psalmen beziehen. Sie könnten ersetzt werden durch die beiden **AA** Admiranda und Ad salutis, sowie die **A** super Ps. in 1. Vesp. Indes beginnen fast alle Quellen mit Urbe Sebastea die Nokturnen.

## 15. De sancto Blasio.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Pontificis palmam
Blasii plebs haec colat almam
Atque precetur eum
magnificando Deum,
Semper ut exsultet
cum Christo spiritus ejus
Coelicolis junctus,
quos visio confovet ejus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Martyris invicti
festum solemne colentes
Psallamus Christo,
quem laudat coelicus ordo.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inter Christicolas,
quos urbs Sebastes alebat,
Eximius martyr
Blasius emicuit.
2. Corde colens digno
Dominum ferensque benigno,
Cultor mandati
verus erat Domini.
3. Neumatis ergo sacri
septeno munere fretus
Praeficitur cunctis
ordine pontificis.

Responsoria.

1. Festivam diem Blasii,
Praeclari Christi martyris,
Festivo ritu gaudiis
Prosequamur et canticis,
Qua laureatus sanguine
Regem adivit gloriae.

V. *Ut videat voluptatem Domini et visitet templum ejus.*

2. Dum sanctus hic in eremum
Ut verus esset Idithun,
Agrestes ferae morbidae
Adibant illum undique,
Quas signo crucis omnibus
Sanabat a doloribus.

V. O mira Dei pietas,
Per quam mitescit feritas
Et feris datur sanitas.

3. Pretiose martyr Blasi,
Servos tuos nos exaudi,
Tua prece apud Christum
Commendato chorum istum.

V. *Si quis enim Dei cultor est, hunc audit, ideo te precamur.*

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Culmine vir clarus
provectus pontificatus
Gliscebat Domini
non sua lucra sequi.
2. Moribus ornatus
erat omnibus omnia factus,
Laeto congaudens
cumque dolente dolens.
3. Antistes clarus,
divino flamine plenus,
Aegris optatam
saepe ferebat opem.

Responsoria.

1. Dum cujusdam mulieris
infans piscem ederet,
Spina piscis fixa haesit
comedentis gutturi
Moxque sanctus gulam tangit
Signo crucis
et sanavit puerum.

V. *Misit manum suam et tetigit os ejus.*

2. Ad tribunal
jussus ire judicis
Venerandus
praesul inquit nuntiis:
Hac me nocte
Christus ter admonuit,
Ut deliber ei grata
atque placens hostia.

V. *Paratus sum et non sum turbatus, ut calicem salvatoris accipiam.*

3. Agricolaus,
praeses impius,
Suspendi jussit
sanctum praesulem
Et carnes ejus ungulis
Dilaniare ferreis
Cui sanctus: per tormenta,
Praeses, inquit, arbitraris
Me terreri, sed non potes.

V. *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum meum.*

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mundanas curas
nimis inquietudine duras
Horrens Argeicas
expetiit latebras.

2. Degebat clausus
celsa sub rupe vir almus,
Mente Deo junctus
Israelita pius.

3. Cumque mali pecudes
quidquam paterentur agrestes,
Optabant sancti
manibus sua vulnera tangi,
Qui tangens sanas
efficiebat eas.

Responsoria.

1. In discuti-
one vero tertia
Servo Dei
saeva inquit bestia:
Jam nunc, Blasi,
diis nostris immola.
Cui sanctus:
non sunt caeca numina,
Immo surda
daemonum simulacra.

V. *Quoniam omnes dii gentium daemonia, Dominus autem coelum fecit.*

2. O praesulem almificum,
Quem mundana
non attraxit gloria,
O martyrem almificum,
Quem poenarum
non vicerunt genera,
Cessit tortor atque lictor
Laniansque ungula,
Nec vincitur equuleo
Nec carceris ergastulo
Neque laci periculo
Fides fervens in Blasio.

V. Tua sunt haec, Christe, opera,
Per quae tui testes
Tot evincunt aspera.

3. O Blasi, decus martyrum,
O gemma fulgens praesulum,
Fave votis te precantum,
Effugato, quidquid gravat,
Impetrato, quidquid juvat
Ad aeternam gloriam.

V. *Scimus quippe, quod quidquid petieris a Domino, dabit tibi Deus.*

Prosella.

1. Praesulem hunc commendavit
Sancta conversatio,
Quem virtutum decoravit
Frequens exhibitio.

2. Porcum lupus reportavit
Praesulis imperio,
Interdicto sanctum pavit
Mulier edulio.

3. Carceratum visitavit
Angelorum visio,
Super aquam ambulavit
Projectus in fluvio.

4. Nihil laesus exsultavit
Flammarum in medio,
Carnes ejus exaravit
Ungularum passio.

5. Caput ejus amputavit
Tyrannus cum gladio,
Sic ad patrem exspiravit
Patiens pro filio.

6. Ergo, Christe, fili David,
Ipsius suffragio
Nobis dona, quam optavit,
In coelesti solio
Aeternam gloriam.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Indutus fortitudinem
atque decorem gloriae
Post devictos mirabiles
elati maris turbines
Athleta regnat Blasius
cum Christo in coelestibus.

2. Interno mentis jubilo
Laeti servite Domino,
Oves ejus et populus;
In adspectu semper ejus
Pro nobis oret Blasius.

3. Te, summa veri gaudii,
Agonizantis Blasii
Sancta sitivit anima
Et caro multiplicia
Per tormentorum genera,
Quo, precamur, perpetuam
Adipiscamur gloriam.

4. Fontes et aquae lacus
et mare regem laudate
In cujus laude aquas
profundi Blasius laci
Signans intravit
ac sicco pede perambulavit.

5. Terrigenae cuncti,
Coelicolis juncti
In Laudibus Christi
Laudiflua voce
Domino cantate,
Quem collaudant sancti
Mors et vita Blasii.

Ad Benedictus.

A. O splendor solis,
qui terrena nubila tollis,
In regno cujus
splendescit spiritus hujus
Fortis agonistae,
per eum tibi supplicat iste
Grex tuus, illustra
confirmans pectora nostra.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Agonista martyr Blasi,
praesul dilectissime,
Qui suspensus eras ligno,
obtruncaris capite,
Audi clemens preces nostras
et peccata dilue.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 116. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 277. B. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV° 14. C. — Brev. ms. Claromontense anni 1335. Cod. Claromonten. A 4 c. D. — Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. E. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. F. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. G. —

In 1. Vesp. ad Magn. **A** fehlt A. — Ibid. 2 Blasii fehlt B. — Statt dieser **A** steht in F:

Praesulis in laude Blasii, Sion sacra, gaude,
Christoque sit data laus tua et vox tua [grata],
Ut prece devota resonet tua concio tota.

In 1. Noct. **R** 1, 2 praeclari fehlt A; Christi fehlt CE. — Statt dieses **R** steht in G das folgende:

Satagemus hunc laudare,
Psalmos, hymnos decantare
Voce, chordis, organo,
Ut per hanc celebritatem
Consequamur claritatem
Coelesti palatio;
V. Dies ista celebretur,
Cleri chorus jucundetur
Cum magno tripudio.

R 2, 2 Iditum A; idrium B; editum C; hidithum E; aditum FG. — R 2, 7 Dei fehlt ACE. — R 3, 1 O pretiose B. — R 3, 4 Commenda tu B. — In 2. Noct. R 1, 6 Et signo crucis C. — R 2. Festivam diem etc. G. — R 2, 1 Ante tribunal C. — R 2, 2 ire jussus F. — R 2, 4 inquit praesul BCE. — R 2, 6 tibi admonuit B. — R 2, 7 Ut dem liber illi gratiam B; ut celebrem illi F. — R 3, 5 pectinibus B. — R 3, 8 inquit praeses BC. — In 3. Noct. A 1, 3 Horrens partes Argeicas A; Artes Argeicis B; Artes Argeicas E; Ardens Argeicas F. — A 2, 1 Diligebat clausus B. — A 2, 2 martyr almus B. — A 2, 3 Deo mente F. — A 3, 2 qui causa patienter B; quisquam G. — A 3, 3 sanctis B. — R 1, 8 sunt aeterna numina A; numina caeca F. — R 2, 2 sq. non mundana B. — R 2, 4 O praesulem F. — R 2, 8 Laminas et ungulas A. — R 3, 1 martyrum decus A. — R 3, 3 Fove votis B. — R 3, 4 Et fugato BF. — Prosa fehlt BCFG. — Ibid. 2, 1 deportavit A. — In Laud. A 2, 1 Inter vehementi jubilo F. — A 2, 3 ejus fehlt AE. — A 4, 1 aqua B. — A 5, 1 cunctis F. — A 5, 2 Coelicolis inserti G. — Ad Bened. A, 8 confirmans pectore A. — In 2. Vesp. ad Magn. in A FG:

A. O praesul et agonista,
Blasi, per quem dies ista
Mundo (re)fulget celebris,
Qua de hoste triumphasti
Et ad lucem sic migrasti
De mundanis tenebris,
Tua prece, nos precamur,
Sursum trahe, ne trahamur
Carnis ab illecebris.

## 16. De sancto Caesario.

### In 1. Vesperis.

R. Splendida totum per orbem
refulget solemnitas
Diei, quam patris almi
transitus Caesarii
Decoravit quaque junctus
est choris angelicis;
V. Hujus tanti fulti patris
nunc beatis precibus
Jucundemur in hac die
cum supernis civibus.

Ad Magnificat.

A. Gaudium anni reduxit
magnum nobis orbita,
Cum [Caesarium] excepit
coelorum sublimitas,
Quo Deus unus perducat
nos beata trinitas.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus regem regum,
Christum Dei filium,
Qui secum provexit sanctum
Hodie Caesarium
Civium ad supernorum
splendidum consortium.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post sanctissimi excessum
praesulis Eonii

Mox Caesarius sepulchri
raptus de latibulo
Electusque est a cuncto
Arelatis populo.

2. Hujus sancti viri [erat]
radix devotissima,
Moribus et fide satis
floruit prosapia,
Quod nobilitatis certe
est exemplar celsius.

3. Cumque septimi annorum
scilicet curriculo
Sanctus foret, jam tegimen
suum clam Caesarius
Offerebat saepe nudus
manens indigentibus.

Responsoria.

1. Vir fuit dilectus Deo
nomine Caesarius,
Admirandae sanctitatis
exsistens a puero,
Cujus ortus a personis
exstitit clarissimis;
V. Sacra namque mox in eo
ab ipsis cunabulis
Christi gratia juvante
excrevit religio.

2. O virum vere beatum,
cujus nempe animum
Non visus neque auditus
quiverat avertere
A coelestium bonorum
dulcissimo nectare,
V. Cujus erat mens intenta
gaudiis perennibus
Nec ab eis vel momento
sequestrata exstitit.

3. Cumque vir Domini missus
foret in exsilium,
Casus venit, ut flagraret
ipsa urbs incendio,
Populique conclamarent:
sancte, nobis subveni;
V. Atroces flammarum globi
dum saevirent, improba
Turba supplex invocabat
Domnum mox Caesarium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum discuteretur verbis
mox parentum asperis,
Suis quid de vestimentis
nudus manens gesserit,
At ipse sibi sublata
refert a viantibus.

2. Ipse sacra nitens jussa
exsequi jam omnia,
Cuncta mundi blandimenta
respuit ac terrea
Lirinorumque sanctorum
expetit consortia.

3. Spiritus nequam, ingressus,
quendam satis miserum,
Per os ejus clamitabat
post beatum sic virum:
O Caesari, nolo vadas
illuc, quo tu properas.

Responsoria.

1. Tunc misertus praesul Christi
conclamantis populi
Se ignivomo furori
concitus opposuit,
Incumbens orationi
solo flexo poplite
V Mox ut terrae genu flexit,
vires mirabiliter
Ignium exstinxit.

2. Igitur comperta princeps
atque rex nefarius
Innocentia beati
praesulis Caesarii,
Poscit supplex, ut ad suam
redeat ecclesiam;
V. Tanto redeunti patri
civibus ab omnibus
Comitiva materiis
et cereis occurritur.

3. Christi dum confessor almus
apud aulam regiam
Moraretur, Ravennatis
misertus est viduae,
Filium quae nuper functum
ejulabat unicum;
V. Nam cum haec diu jaceret
ejus ad vestigium,
Mox orando suscitavit
vivumque matri reddidit.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tunc sanctus miseratus
mox bibendi poculo
Benedicto porrectoque
curat a daemonio,
Id quod ejus referente
cognitum est comite.

2. Sanctus mox ut necti quivit
monachorum cuneis,
Coepit eminere cunctis
in virtutum actibus,
Et qui instruendus venit,
perfectus apparuit.

3. Tunc directus est medendo
a patre sanctissimo
Ad urbem Arelatensem
viro illustrissimo,
Nomine Firmino nempe
ac christianissimo.

Responsoria.

1. Cum jam sol occubuisset
declinans ad vesperum,
Viro Dei ad altare
praesentatur mulier,
Quae cum spumo ac stridore
ejulabat jugiter;
V. Tunc sanctus solo prostratus
in orationibus
Omnem vim daemoniorum
mox ab ea depulit.

2. Quidam puer clari viri
ac simul patricii
Ab immundo vexabatur
spiritu frequentius,
Quem vir Dei consecrato
unctum sanat oleo.
V. Ita liberatus puer
est a nequam spiritu,
Ut ultra eum tentare
nequaquam praesumeret.

3. Cujusdam Arelatensis
ministri ecclesiae
Filia gravi languore
jacebat praemortua,
Pro qua vir Dei oravit,
patri sanam reddidit.
V. Sic illa muta manebat
jam puella triduo,
Ut nec ore loqui posset
cernere nec oculis.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cumque jam exitus sui
cerneret per spiritum
Diem proximum, se vehi
jussit in coenobium,
Ipse quod patrarat dudum
ad opus virgineum.

2. Convocatis mox ancillis
Christi, quod audierat,
Consolatur, ne movere
suus eas transitus
Debeat, quod se patronum
scirent apud Dominum.

3. Cui nos, o pater sancte,
desolatas deseris?
Quibus ille: non vos, ait,
benedictae, desero,
Sed pro vobis rogaturus
ad Christum accelero.

4. Cuncta nunc simul creata
benedicant Dominum,
Tantum qui nobis patronum
dedit in perpetuum,

Cujus meritis juvari
sentiamus jugiter.

5. Laudet coelum, laudet terra,
Deum laudent omnia
Conditorem in beati
transitu Caesarii,
Quem Christus nobis patronum
conferat perpetuum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ita nos amicus Dei
faciat Caesarius
Celebrantes interesse
festivis praesentibus
Gaudiis, quod mereamur
perfrui perennibus.

Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 3 Lücke von vier Silben; Caesarium ergänzt. — In 1. Noct. **A** 1, 5 Erectusque. — **A** 2, 1 Lücke von 2 Silben; erat ergänzt. — **R** 2, 5 quiverat se corruere. — In 2. Noct. **A** 2, 5 Ad ipse. — **A** 2, 4 terrena. — **R** 1, 9 sq. unvollständig. — **R** 2, 9 comitivam. — In 3. Noct. **A** 1, 1 fehlt eine Silbe; lies Huncque sanctus? — **R** 2, 7 sq. est puer. — **R** 3, 6 et patri. — In Laud. ad Bened. **A** prosaisch.

## 17. De sancto Calixto.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gratuletur
Christi familia,
Dies nobis
haec refert gaudia,
Qua Calixtus
victrici laurea
Redimitus
intravit aethera,
Tibi, Christe,
sit laus et gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, regem
et formam martyrum,
Adoremus,
laude dignissimum,
Qui triumphum
Calixto martyri,
Cum triumpho
coronam contulit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Calixtus pontifex
Meditabatur jugiter
In lege Domini.

2. Dum Dei legem explicat,
Fremit praeses inania,
Meditans illum perdere.

3. Ut rapiatur, imperat,
Sed in raptores caecitas
Irruit subito.

4. Vim virtutis intuitus
In Calixto Palmatius
Ad Dominum convertitur.

5. Verba sancti
percipit Dominus
Cum clamore
gementis spiritus,
Et exauditus est.

6. In tuo, Deus, nomine
Multo signorum opere
Calixtus claruit.

Responsoria.

1. Praesul Calixtus nomine
Pro Christo fuso sanguine,
Coelos ascendens hodie,
Palmam refert victoriae;
V. Coetu fretus angelico
Sanctorum datur numero.

2. Orabat in coenaculo
Multis secum de populo,
Subvertitur cum idolo
Domus subjecta Zabulo

V. In argumentum fidei,
Dum verbo plebem reficit.

3. Audit praefectus populi
Casum domus et idoli,
Ut rapiatur, praecipit,
Calixtus servus Domini,
V. Furori satisfacere,
Quo torquebatur pectore.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui confidens in Domino
Minanti se Palmatio
Praesentari non timuit.

2. Ruga carens et macula
Aeterna tabernacula
Ingredi meruit.

3. Vitam a Deo petiit,
Dedit et superaddidit
Coronam gloriae.

4. Vir Calixtus
celeber meritis
Coeli claves
successor Simonis
Atque curam,
ovium suscipis
Romae et orbis.

5. Pastor factus
gregis Dominici,
Virgam ferens
cum tuba ductili
Gregem pascit.

6. Tuba mittit
sonum horribilem,
Terret hostes
longius abigens
Ab ovili.

Responsoria.

1. Satelles domum subiit,
Ubi Calixtum didicit,
Qui nebula circumdatus
Caecitate percutitur,
V. Ut viro Dei crederet
Nec fidei resisteret.

2. Vir Domini sollicitus
In deducendis ovibus
Virgam cum tuba ductili
Tenet et feras abigit,
V. Non dormitando palpebris
Nec dando somnum oculis.

3. Dum recreat in Domino
Fideles vitae pabulo,
Calixtus raptus subito
Concluditur ergastulo
V. Pro fidei mysterio,
Pro veritatis studio.

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Ad pascua
ducit uberrima
Dei pascens
hic animalia
Semper sollicitus.

Responsoria.

1. Arta clausus custodia
Profligatur inedia,
Tyrannus interdixerat
Ei quaevis edulia,
V. Ut vel poenis deficeret
Vel votis ejus cederet.

2. Flores et laeta gramina
Mundi Calixtus spreverat
Desertum mentis appetens,
Ibi constanter permanens,
V. Vanam calcavit gloriam
Et fallentem insaniam.

3. Expositus ad gravia
Christi miles supplicia
Pro fidei constantia
Torquetur mente placida
Dei praedulcis hostia,
V. Cui vivere Christus erat
Et mori lucrum.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinctus martyr
fide non modica

Superavit
fluctus et flumina
Maris hujus.

2. Jubilemus
sanctorum Domino,
Cui Calixtus
perenni jubilo
Cum sanctis jubilat.

3. Invigilans
commissis ovibus
Pavit gregem
Domini sedulus
Pastor pervigil.

4. Benedixit
Calixtus Domino,
Quod addictus
gravi supplicio
Pro eo patitur.

5. Psalterii
simul et citharae
Peritus cantat
laudans assidue
De coelis Dominum.

Ad Benedictus.

A. Sanctitate
juncta justitiae
Servit Deo
pulsa formidine
Cum tyranno
juncto certamine
Vicit, refert
palmam victoriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vir Calixte,
Domini gratia
Quem solemnis
canit ecclesia,
Te precamur,
audi precamina,
Sentiamus
tua suffragia,
Ut ad prima
ducamur gaudia.

Brev. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacen. 134. add. saec. 13/14. — In allen Noct. ist R 4 prosaisch. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 10 reducamur Hs.

## 18. De sancto Deodato.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Omnes una congregati
Ad tanti laudem praesulis
Solemnia Deodati
Decantemus cum modulis.

2. Gratia Dei praeditus,
Ut cui plus committitur,
Antistes legit inclitus,
Plus ab eo exigitur.

3. Nivernensem praesulatum
Mox reliquit Ammonita,
Timens praebuit se gratum
Deo factus eremita.

4. Spem salutis praedicabat
Virtutibus sublimatus
Et egenos sustentabat
Dei munere ditatus.

5. Iste vir Israelita
Promeruit decorari,
Qui stat in utraque vita
Cum supremo angulari.

Ad Magnificat.

A. Clari festi praesentia
Omnis fidelis anima
Cordis exsultet jubilo
In Christo Jesu Domino,

De quo gaudet solemnio
Deodatus continuo,
Ubi securus lapsuum
Memor sis tui memorum.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Casta mente Deo
surgamus psallere nostro,
Regna Deodato
qui coelica contulit almo.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Deodatus
In lege Dei sedulus
Die ac nocte gemina
Replebatur scientia.

2. Super montem ecclesiae
Constitutus catholicae
Nec regibus nec populis
Praecepta Dei tacuit.

3. Voce cordis ad Dominum,
Cujus est salus omnium,
Clamavit et in gloria
Susceptus est angelica.

Responsoria.

1. Beati patris annua
Deodati solemnia
Lux hodierna revocat
Et pia corda renovat;
V. Magistri quippe gloria
Discipulos condecorat.

2. Claro Francorum stemmate
Natus hic felicissime
Veri Dei notitia
Fulsit a pueritia,
V. Ingenio laudabili
Perscrutans dogma fidei.

3. Cumque per dies singulos
Fieret se ipso melior,
Populis Nivernensibus
Subrogatur episcopus,
V. Factis et dictis cognitus
Per omnia catholicus.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In diebus angustiae
Deus ejus justitiae
Sanctum suum solatio
Dilatavit mirifico.

2. Deus in multitudine
Suae misericordiae
Deducens suum famulum
Direxit ad hunc Vosagum.

3. Homo coelestis habitus
Hinc et terrestris angelus,
Gloriosus emicuit
Sanctus et honorabilis.

Responsoria.

1. Suscepto devotissime
Episcopatus apice
Instanter gessit opera
Honori tanto congrua,
V. Solertia pervigili
Quaerendo, quae sunt Domini.

2. Semper devotus pontifex
Deo vacare appetens
Mundi relictis omnibus
Vult esse solitarius,
V. Nam totus Deo deditus
Nomine et operibus.

3. Cum discipulis vir Dei
Secreta lustrans Vosagi
Perstitit in Gallilaea,
Valle satis accommoda,
V. Prius perpessus plurima
Ab invidis incommoda.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Propter se factum pauperem
Deodatum respiciens
Ex sede sua Dominus
Vitae ditavit opibus.

2. Hic operans justitiam,
Quaerendo vitae patriam
In fronte verum praetulit
Nec linguam dolo polluit.

3. Mundo corde et manibus
Deodatus innocuus
Scandere montem Domini
Alacriter promeruit.

Responsoria.

1. Ex locorum vicinia
Et antiqua notitia
Deodato carissimus
Hidulphus erat inclitus,
V. Qui Prumas Trevirensium
Nuper intrarat eremum.

2. Videns beatus undique
Multos ad se confluere
Apud Juncturas gemina
Construxit monasteria,
V. Ibi degens amabilis
Suis atque extraneis.

3. Venerabilis pontifex
Jam senio deficiens
Morte ad vitam transiit
Corporis liber vinculis,
In qua sentitur vivere
Miraculorum munere.
V. Peregrinus et humilis
Seminavit in lacrimis,
Sed gaudens vitam messuit.

## Ad Laudes.

Antiphonae.

1. O quam sunt credibilia
Tua, Deus, eloquia,
Parasti tuo famulo
Aptam sedem in eremo.

2. Intremus portas Domini
Confessione supplici
Et hymnis ejus atria
Per Deodati merita.

3. Deum sitiens anima
Hujus sancti dignissima
Per deserta et invia
Quaerebat vitae gaudia.

4. Benedicite Dominum
Omnes filii hominum,
Hunc sanctum corde humilem
Qui benedixit praesulem.

5. Domini nomen solius
Senex cum junioribus
Laudent, cujus est gratia
Deodatus in gloria.

Ad Benedictus.

A. Fortis atque macrothymus
Deodatus calogerus
Post prolixa et plurima
Hujus vitae certamina
Domini sui gaudio
Donatus est perpetuo.

## In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O praesul hagiastice,
Deodate, nos refove
Meritis et precamine
Apud Dominum gloriae,
Ut expurgatis omnibus
Mentis et carnis sordibus
Te praevio perpetua
Adipiscamur gaudia.

Brev. ms. S. Deodati saec. 16. Clm. Monacen. 10909. — In 1. Vesp. steht der Hymnenanfang: Dignis summo in laudibus; der Hymnus selbst fehlt. — 3. Noct. **R** 2, 6 Suis et extraneis Hs. — Ad Laud. ad Ben. **A** 2 kalogepoch Hs.

### 19. De sancto Elzeario.

#### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. A dextris sedet gloriae,
Nam a dextris justitiae
Sedit vita mortali,
Virgam virtutis explicat
Et nationes judicat
Concussans caput mali.

2. Justorum in consilio
Dulcique contubernio
Et congregatione
Mandata dat fidelia,
Dum salutis utilia
Jubet Christi sermone.

3. Dispergens dans pauperibus
Pietatis visceribus
Commodans miseretur,
Disponens se judicio,
Cum recta generatio
Christi benedicetur.

4. Elzearium nobilem
Respexit Deus humilem
In terra conversantem,
Collocans cum principibus,
Choris quoque coelestibus
In gloria laetantem.

5. Laudant gentes et populi,
Illustres magis saeculi,
Qui manet in aeternum,
Clarum sequentes comitem
Per sanctitatis tramitem
Ad bravium supernum.

Ad Magnificat.

A. Proles digna Provinciae,
Stirps generosa comitum,
Princeps summae clementiae,
Decus et honor militum,
Elzeari beate,
Exora, dari veniae
Nobis et vitae meritum
Tandemque fructum gloriae
Post hujus vitae transitum
In coeli claritate.

#### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem laudantes omnium
In psalmis jubilemus,
In quo et Elzearium
Voce magnificemus.

#### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir consilium
Devitat impiorum,
Piorum fert vestigium
Sequens viam justorum.

2. Adversus Christum Domini
Plangit conventionem,
Qui vitam dedit homini
Per suam passionem.

3. Voce clamat ad Dominum
In morte dormiturus,
Post vultum plenum luminum
Monstrat resurrecturus.

Responsoria.

1. Puer beatus cingitur
Ad carnem chorda dura
Adolescensque sequitur
Sermonum Christi jura
Familiamque traditur
Pia formasse cura,

V. Per quam Deus extollitur
Et proximus diligitur
Intentione pura.

2. Carnis horrens delicias
Cilicio vestitur,
Corpus sentit angustias
Amictus, dum sopitur,
Sic et per abstinentias
Jejuniis nutritur.

V. Jocos sprevit et nuptias
Et saeculi blanditias,
Dum Christi crux ambitur.

3. Desponsatur virginitas
In matre salvatoris,
In sancto fulget puritas,
Conjugium honoris,
Sic fit perfecta caritas,
Vim vendicat amoris.
V. Cor, gestus et activitas
Per cunctas tenens semitas
Virginei pudoris.

3. Caritatis incendio
Salutem animarum
Verbis sitit et studio
Viribus medullarum.
Hinc nullo pensat pretio,
Quod mundus habet carum,
V. Hinc pius in obsequio
Egenis fit auxilio
Plerisque in poenarum.

## In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cordis signat laetitiam
Sereni vultus lumen,
Nam mundam conscientiam
Sibi dat Christi numen.

2. Verba percepit auribus
Et pauperum clamorem,
Quorum necessitatibus
Se dat intercessorem.

3. Honor, corona, gloria
Confessori beato,
Dei magnificentia
Ad coelos elevato.

Responsoria.

1. Vir lenis, mitis, humilis
Se clamat peccatorem,
Dulcis, blandus, affabilis
Nec despicit minorem
Egenorumque pabulis
Se praebet servitorem,
V. Leprosos lavans osculis
Mulcet cultusque nobilis
Se monstrat contemptorem.

2. Vir rectus a justitia
Non novit declinare,
Amor, vis, munus, odia
Hunc nequeunt turbare,
Sic perfecta judicia
Perfectus scit amare,
V. Juncta misericordia
Damnatorum supplicia
Docebat deplorare.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In monte sine macula
Quievit castitatis,
Hic Dei tabernacula
Habitat cum beatis.

2. Invenit tua dextera
Omnes, qui te oderunt,
Cunctis dum donas munera,
Qui tibi mala quaerunt.

3. Cordis habens munditiam
Et manum innocentem
Ascendit montis gloriam
Terrena transcendentem.

Responsoria.

1. In summa vehit spiritum
Orationis alis,
Fervescit in intuitum
Adspectus facialis,
Devote fundens gemitum
Pro retractivis malis;
V. Sic sentit cor imbibitum,
Ut cum venit ad reditum,
Nec paret sensualis.

2. Invicta patientia
Christi armat athletam,
Contemptus et opprobria
Mentem vere quietam,
Rerum quoque dispendia
Probant pace repletam,
V. Mors, languor, vis, fallacia
Nec tristant quaeque tristia
Animam semper laetam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinctus pudicitia
Supra carnis incendia
Ut dominus regnavit,
Decorem mentis induens,
Fortitudinem vestiens
Corpus terrae firmavit.

2. Servus Dei laetitia
Clarescit ad convitia
In exsultatione,
Divinum intrat atrium
In hymnis confitentium
Laudis confessione.

3. Sic super stratum proprium
Memor est per cilicium
Christi Jesu plagarum,
In quem sitivit anima
Et caro sibi proxima
Luce vigiliarum.

4. Patrem, filium, spiritum
Per operum circuitum
Semper benedicamus,
Sancti et corde humilis
Cum laudibus et jubilis
Magnalia canamus.

5. Terrae reges et principes,
Et juvenes et virgines,
Coeli laudate Deum,
Sequentes Elzearium,
Nam rex et princeps omnium
Ad coelum vexit eum.

Ad Benedictus.

A. Exsultet Apta civitas,
Quam exornat praeclaritas
Felicium membrorum,
Tantoque privilegio
Tu dotata religio
Ecclesiae minorum,
In te sunt ossa condita,
Quibus aegris est reddita
Completio votorum;
Ad te, confessor optime,
Clamant languentes animae
Pro venia malorum.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ex utero principium
Et generis initium
Sumens stirpe clarorum
Die virtutis claruit,
Hinc sociari meruit
Splendoribus sanctorum.

2. In toto corde Dominum
Confitetur et luminum
Patrem laude septena
Sanctumque nomen Domini
Suo commendat agmini
Devotione plena.

3. Potens in terra timuit,
Cujus mandatis voluit
Beatus obedire,
Gloria et divitiae
Non poterant justitiae
Ipsius contraire.

4. Ex hoc nunc et in saeculum
Dei per solis circulum
Sit nomen benedictum,
Vosque laudate, pueri,
Puerum suo corpori
Tenentem finem strictum.

5. Laudate, gentes, Dominum,
Quo tempus per interminum
Veritas manet rata,
Cujus misericordia
Est per sancti suffragia
Super nos confirmata.

Brev. ms. Romano-Franciscanum anni 1412. (Privatbesitz.) — In 1. Noct. **R** 3, 8 tenent. — In 2. Noct. **A** 1, 2 lumine. — **A** 1, 4 numine. — **R** 2, 6 Perfectas. — **R** 3, 1 Caritas. — **R** 3, 4 Et viribus. — **R** 3, 7 Huic pius. — In 3. Noct. **R** 3, 1 velut spiritum. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** wie in 1. Vesp.

## 20. De sancto Felice.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sancte tua Felix
prece fac sit plebs tua felix,
Cui mens est totis
tibi nunc adsistere votis;
Plebem cum clero
duc sic moderamine vero,
Te duce confisi
quo regna petant paradisi.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem laudemus,
mitem quem semper habemus,
Felicis cursum
qui duxit ad aethera sursum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fuit vir iste beatus
A Christo multum amatus,
Consilium impiorum
Spernens et iter pravorum.
2. Cum infremuissent gentes
Christi servum insequentes,
Araneae fuit tela
Illi scutum et tutela.
3. Licent sint multiplicati
Hostes hujus Deo dati,
Ad Dominum cum clamavit,
Salus ejus hunc salvavit.

Responsoria.

1. Gaudens in festo,
pia plebs, Felicis adesto,
Gaudia duc mente
tanto pastore tuente,
Nam poteris facile
saeclum tunc spernere vile;
V. Hunc satis exora,
per eum cuncta meliora.

2. Hunc pater ut morum
plenum videt atque bonorum,
Haeredem carum
rerum facit esse suarum,
Quas impertitur
fratri, pater ut sepelitur;
V. Sprevit opes mundi
pueri mens coelica mundi.

3. Doctus scriptura
Felix mundi peritura
Despicit, in caelis
spem votis ponit anhelis,
Maximus hinc animo
praesul congaudet ab imo;
V. Presbyter hic factus
sanctos firmatur in actus.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum hunc mirificatum
Scimus atque decoratum
A Deo, cum de carcere
Eduxit eum libere.
2. Mane Domino adstabat
Felix iste et orabat,
Cujus vox est exaudita
Pro plebe sibi subdita.
3. Mirabile nomen Christi
Comprobatur sancto isti,
Quem carceris de foribus
Eduxit clam custodibus.

Responsoria.

1. Urbe Nolanae
Felix non vixit inane,
Sed, quem dilexit,
populum sub praeside rexit,
Qui senio fractus
felices gesserat actus,
V. Et quia turpe furit
mala gens, illum metus urit.

2. Felix turbatur,
sine sancto dum viduatur,
Namque senex eremum
cupiens fugit et loca demum,
Intrat sentosa
dumis scopulisque perosa,
V. Mundanum cultum,
cupiens vitare tumultum.

3. Urget pagana
gens Felicem malesana,
Nomine pro Christi
carcer sancto datur isti,
Sub quo congestae
straverunt fragmina testae,
V. Divinum numen
dat cum requie sibi lumen.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino fidens fuit
Felix, dum gens caeca ruit,
Nam non videbant videntes
Hunc, ad quem erant loquentes.

2. Felix hic sine macula
Intravit tabernacula,
Quo coelesti cum copula
Requiescit in saecula.

3. Desiderium animae
Tribuisti, altissime,
Felici, qui feliciter
Ad te nostrum regat iter.

Responsoria.

1. Angelico fretus
ductu de carcere laetus
Felix egressus
illuc tulit illico gressus,
Quo praesul sanctus
sanctos dat pectore planctus,
V. Felix deserto
laetatur valde reperto.

2. Dat in divina
brumali tempore spina
Botrum, qui fusus
morienti restruit usus,
Conatu magno
pastor portatur ab agro;
V. A Domino factum
est hoc admirabile factum.

3. Praesule excepto
non flecti dogmate coepto
Felix intendit,
gens dentibus impia frendit,
Effugit hic tela,
quem servat aranea tela;
V. Sic Christus frangit
hos, quos spes idola tangit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Persequentum postquam manus
Evaserat Felix sanus,
Hunc vidua quaedam pavit,
Sicut Christus ordinavit.

2. Sacri roris infusio
Potavit in compluvio
Christi servum dante Deo
Aestu siccato puteo.

3. Cessante malorum rabie
Relocatur ecclesiae
Felix, tunc migrat maximus
Praesul ad coelos Maximus.

4. Eligitur episcopus
Felix, sed non tantum opus,
Cum humilis esset vere,
Praesumit sibi sumere.

5. Populo Felix presbyter
Doctrinae praebuit iter,
Donec ejus est spiritus
Sursum invectus coelitus.

Ad Benedictus.

A. Felicem hunc veneremur,
Ejus actus imitemur
Orantes spe sedula,
Ut in coelesti gloria
Per ipsius suffragia
Regnemus in saecula.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ecclesia mater sancta gaude
Laeta Christum digna [lauda] laude,
Qui ab oriente in Felice
Te beavit alumno felice.

2. O quam Christus in hoc mirabilis
Praedicatur atque laudabilis,
Quem ornavit miris virtutibus,
In saeculis narrandis omnibus.

3. Jeremiam hic fratrem habuit,
Fratres eadem mens non tenuit,
Nam vitae alter contemplativae,
Alter vero inhaesit activae.

4. Mundus mundum Felix conculcavit,
Ad superna semper anhelavit,
Mundum linquens et ejus gaudia
Coeli jam possidet palatia.

5. Gemma lucis, Felix eximie,
Ora Christum, solem justitiae,
Ut tenebris nostrae nequitiae
Lumen verae det poenitentiae.

Ad Magnificat.

A. O Felix, pastor inclite,
Perduc ad pascua vitae
Te laudantem gregem istum,
Ut cum coelorum civibus
Aeternis laudet laudibus.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884. — In 3. Noct. **A** 3, 3 qui fehlt. — **R** 3, 4 frendens. — In Laud. **A** 3, 1 lies mali? — In 2. Vesp. **A** 1, 2 lauda ergänzt. — **A** 2, 4 In ergänzt. — Ad Magn. **A**, 5 laudet civibus.

## 21. De sancto Ferreolo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laus tibi, Ferreoli
rex, quod voluit tibi soli
Ferreolus miles
animos offerre viriles.

2. Nemo Dei miles
mundana negotia quaerit,
Nam servus dominis
nemo duobus erit.

3. Sanctus ei placuit,
cui se servire probavit,
Dum plus arma Dei
quam mundi culmen amavit.

4. Legitime certat
pretiosae in mortis agone
Miles eique datur
victricis palma coronae.

5. Desudat miles,
ut praemia digna reportet,
Agricolam primum
de fructu sumere oportet.

R. Quantus amor sancti,
quantus, quam fortis amanti,
Ut mors est fortis,
dum non timet aspera mortis,
Lampas est ignis
et habet flammam sine lignis,
V. Non exstinxerunt
hunc flumina, quae tumuerunt.

Ad Magnificat.

A. Tortorem jam deposuit
de sede potentem,
Exaltans humiles Dominus
tamquam esurientem,
Justitiam replens
ditem dimisit inanem
Angelicumque suo
puero dat sumere panem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Qui bravium palmae
tibi se martyr dedit alme,
Et dator et munus,
trinus laudetur et unus.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir bene fundatus,
   in lege Dei meditatus,
   Lignum fructiferum
   conscendit ad ardua rerum.
2. Ardua sunt, celeri
   Christum sermone fateri
   Et plus quam gentes
   hunc formidare frementes.
3. Vir, cui susceptor
   Dominus fit, gloria, rector,
   Despicit iratos
   tribulantes multiplicatos.

Responsoria.

1. Cum Domino carum
   genus olim Christicolarum
   Sacrilegi reges
   ad iniquas cogere leges
   Arderent, caedes
   excepit Gallica sedes;

V. Haec peccatorum
   via consiliumque malorum.

2. Crispinus praeses
   coepit lustrare Viennam,
   Sanctis tormenta
   sibimetque parando gehennam.

V. Reges jusserunt
   ita, qui frustra fremuerunt.

3. Dum plerosque mori
   facit indulgetque furori,
   Ferreolus Christi
   Crispino proditur isti,
   Extra non, intus
   gladii munimine cinctus;

V. Intus erat Christus
   susceptor, gloria, virtus.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ferreolus fultus
   divini lumine vultus
   Sacra Deo cara
   cordis mactavit in ara.
2. Larga voluntatis
   divinae praestita dona
   Ferreolo scutum
   prius, inde fuere corona
3. Mirandus Dominus,
   qui servo regia donat
   Ornamenta suo,
   quem gloria honorque coronat.

Responsoria.

1. Praesidis imperio
   tortores inde beatum
   Carcere Ferreolum
   ferro claudunt oneratum,

V. Sed Deus intravit,
   qui sanctum mirificavit.

2. Ut biduo facto
   tenebras aurora removit,
   Sanctus erat liber
   resolutaque vincula novit,

V. Mane videns recolit,
   quod rex Deus impia nolit.

3. Dum custos dormit
   ad carceris ostia lente,
   Vir sacer accedit
   sentitque patere repente,
   Disponit fugere
   scriptura praecipiente,

V. Cum Domini cuique
   mirabile nomen ubique.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir cavet in Domino
   confidens, ne sibi mittant
   Perfidiae virus,
   qui rectos corde sagittant.
2. Vir, qui justa facit
   maculosaque crimina nescit,
   Atria sancta petens
   in sancto monte quiescit.
3. A Domino vitam
   petiit, tribuitque petitam,
   Dans lumen verum
   per saecula longa dierum.

Responsoria.

1. Portas est urbis
egressus et altius haeret,
Consilio quaerebat iter,
quod eundo teneret,
Quave secuturos
potius ratione caveret;
V. Nam qui peccabant,
arcum pharetrasque parabant.

2. Properat orando
Rhodanum transire natando,
Dirigit egressus
in communi aggere gressus,
Ad Jarem capitur
fluvium nec longius itur;
V. Sic in monte Dei
meruit sedem requiei.

3. Ductus ab iratis
manibus post terga ligatis
Usque Brinacensis
terrae loca et ictibus ensis
Truncato capite
migravit in atria vitae;
V. Dantur ei dona,
lapidis pretiosa corona.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praeses ait: quae tanta necis
fiducia? Christi
Sectam si refugis,
indulgeo, quae retulisti.

2. Quae promittis, ait,
volo eorum cedere juri,
Qui tibi militiam
sunt amplius exhibituri.

3. Cum te non flectant
bona, praeses ait, mala plectant,
Quae, nisi sacrifices,
cito, quam sint acria, disces.

4. Vidit eum flecti
non posse per aspera verba
Judex, affligi
per verbera jussit acerba.

5 Cum nec verberibus
valet ad scelerata referri,
Carcere praecipitur
claudi sub pondere ferri.

Ad Benedictus.

A. Sancta Viennenses
sibi praesidio atque decori
Membra futura fide
retulerunt nobiliori,
In ripa Rhodani
condentes ulteriori.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ne latitando diu
martyr foret absque decore,
Castalius vir praecipuus
virtutis amore
Basilicam grandem
fundavit in ejus honore.

Brev. Sosmense imp. Parisiis 1543.

## 22. De sancto Ferreolo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Fidelium turma, gaude
Cum Vienna, plena laude,
In honore digna coli
Gloriosi Ferreoli.

2. Imbutus vero dogmate,
Sacro lotus baptismate,
Sub habitu militari
Deo coepit famulari.

3. Contigit gentes impias
Per singulas provincias

Ad suos ritus profanos
Compellere Christianos.

4. Crispinus praesul subdolus,
Comperto, quod Ferreolus
Esset vere Christianus,
Statim misit in hunc manus.

5. Blandis, minis, verberibus,
Compedibus, carceribus
Et usque ad mortem pressus,
Semper Christum est confessus.

R. Beatus Ferreolus,
Virtute fidei armatus
Et dono Dei securus,
Rhodanum ingreditur
Et fusis precibus
ad Dominum
In ulteriorem
ripam transcurrit

V. Elementa servo Dei
Ferreolo famulantur,
Dum per omnem Rhodanum
Sine demersione transvehitur.

Ad Magnificat.

A. Ferreole,
Te ferrum limatum,
Ferro ligatum
Ferro litatum,
Martyrem
Ac patronum beatum
Petimus, nobis obtine,
Omni pulsa rubigine
Coelesti frui lumine.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem sempiternum pronis
adoremus mentibus,
Qui martyrem suum digne
pro meritis
Coronavit Ferreolum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Ferreolus,
Quem de semita justorum
Non traxit hostis subdolus
Per devia peccatorum.

2. Quare fremuerunt
Gentes contra eum,
Reges astiterunt
Incolentes Deum?

3. Domine, multiplicatio
Ferreolo passionum
Est effecta benedictio
Ad vocem orationum.

Responsoria.

1. Divina providentia
Nomina consonantia
Rebus imposuit,
Et sub ferri materia
Ferreolo cum gloria
Nomen attribuit.

V. *Nomine aeterno haereditavit illum Dominus Deus noster.*

2. Inter principes saeculi
Et frequentias populi
Carnem, hostem, mundum vicit,
Totum Christo se subjicit.

V. *Memor verbi Domini reddebat, quae erant Caesaris, Caesari et, quae Dei, Deo.*

3. Ferrum de terra tollitur,
Igni purgandum traditur,
Cuditur malleo,
Ferreolus eripitur
Ab idolis et patitur
Tormenta pro Deo.

V. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.*

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocaret Dominum,
In quo firmiter speravit,
Sciant filii hominum,
Quod sanctum mirificavit.

2. Verba mea,
clamat, intellige,
Viam meam
ad coelos dirige.

3. Domine, noster Dominus,
Minuisti paulominus
Ferreolum ab angelis,
Quem tecum trahis in caelis.

Responsoria.

1. Ferreolum, militem inclitum,
Christianum, Crispino proditum,
Praesul jubet idolis servire
Aut in eum minatur saevire.

V. *Justus non conturbatur, quia Dominus firmat manus ejus.*

2. Ferreolus carceratus
Tenetur in compedibus,
Vinculatus, oneratus
Ferri magnis ponderibus,
Nec a divinis laudibus
Cessat vir beatus.

V. *Sciebat enim, se socium passionum futurum esse et consolationum.*

3. Somno die tertia
Custodes premuntur,
Sponte patent ostia,
Vincula solvuntur,
Rhodani recta via
Gressus diriguntur.

V. *Qui Petrum in mari, ne mergeretur, erexit, Ferreolum per fluvium secure tansvexit.*

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino confidens
A Domino respicitur,
Quem Deus justum videns,
Ab eo plus diligitur.

2. Domine, sine macula
Ferreolum invenisti,
Quem tua tabernacula
Inhabitare fecisti.

3. Domine, in virtute
Tua nobis praesta,
Colere cum salute
Ferreoli festa.

Responsoria.

1. Post Rhodani transitum
Martyr in agone
Reddit Deo spiritum
Percussus mucrone,
Obtinet per meritum
Praemium coronae.

V. *Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis.*

2. Effusione sanguinis
Ferreoli dedicatur
Ope divini numinis
Locus, in quo tumulatur,
Caput sancti Juliani
Cum eodem collocatur.

V. *Quomodo enim in vita sua dilexerunt se, ita et per mortem non sunt separati.*

3. Jesu bone, fide firma
Ferreolo nos confirma,
Per precatum fiant firma,
Quae in nobis sunt infirma.

V. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus almi.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ferreolus, felix miles,
Sciens mundi res exiles,
Praeelegit munditiam,
Quae dat aeternam gloriam.

2. Ferreoli constantia
Per blanda, per supplicia
Probatur ex passione
In Christi confessione.

3. Ferreolo multiplicant
Multi tormenti cumulum,
Sed rumpit, quidquid applicant,
Qui benedicit saeculum.

4. Ferreolum martyrio
Post carceris ergastula
Coronavit pro praemio
Gloriosus in saecula.

5. Ferreole, miles Christi,
Qui terrena contempsisti,
Jam laudas cum martyribus
Dominum in coelestibus.

Ad Benedictus.

A. O mira res, sub habitu
Mundanae militiae
Mundano mundus ambitu
Soli regi gloriae

Ferreolus militavit,
Quem martyrem coronavit
Christus; hujus precibus
Laetemur in coelestibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ferreole, munde mundo
Conversatus in immundo,
Ab immunda mundi faece
Nos emunda tua prece.

Offic. ms. S. Ferreoli in Puisaia saec. 15. Cod Parisien. 1348 saec. 15. — In 1. Noct. A 2, 4 Incolentes soviel als non colentes. — In 3. Noct. R 3, 6 sancti fehlt. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 2 Conversatos. — Hymn.: Ferreoli decantemus.

## 23. De sancta Fide.

In 1. Vesperis.

R. O quam dulcis memoria
De sancta Fide virgine,
Quae gaudet coeli curia
Cum angelorum agmine,
In paradisi gloria
Manet cum sancto numine;
V. Beata Fides fulgida,
Virgo et martyr splendida.

Ad Magnificat.

A. Hodie beata Fides,
Virgo et martyr, floruit,
Quae martyrii corona
Coronari meruit,
Ideo florens ut rosa
Laetatur cum gloriosa
Matre virgine
In coelesti culmine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, regem gloriae,
Jesum adoremus,
Sanctae Fides hodie
Festum celebremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancta Fides igitur
Agennensi civitate
Ex nobilibus oritur
Proles plena sanctitate.

2. Haec induta candida
Stolaque virginitatis
Fulget Fides splendida
Odore suavitatis.

3. Aetate juvencula
Senex summa honestate
Fuit, sine macula,
Plena magna sanctitate.

4. Candore formosissima
Vultusque hilaritate
Claruit sanctissima
Jesu Christi bonitate.

5. Hanc apprehendit Dacianus,
Qui ab imperatoribus
Missus fuit quasi insanus,
Plenus multis sceleribus.

6. Frontem, os, pectus armavit
Ad Dacianum veniens
Et ad Dominum oravit
Signo crucis se muniens.

Responsoria.

1. Hodie mundi salvator,
Nostrae salutis amator,
Sanctam Fidem glorificavit,
In gloria exaltavit
Cum sanctis agminibus
In supernis sedibus.
V. Quae propter sacrum martyrium
Passa est supplicium
Et consecuta est praemium.

2. Sancta Fides igitur,
Agennensi civitate
Oriunda, hic colitur
Mira plena sanctitate
Nitensque mira claritate.
V. Nobilis ex genere,
Nobilior ex munere,
Divinae majestatis.

3. Istam videns Dacianus
Jubet ad se properare,
Infidelis et insanus
Jubet Deos colere,
Quos ipsa vult respuere,
V. Deum unum colere,
Deos plures despicere.

4. O quam dulcis et amoena
Sancta Fides et serena,
Quae suam animam
Transmisit ad gloriam,
V. Quae propter Dei filium
Passa est supplicium
Et post sacrum martyrium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quae es, inquit Dacianus,
Dic mihi, carissima?
Sum Fides, Christiana
A mea infantia.

2. Recede inquit Dacianus,
Ab ista stultitia,
Ad Deos nostros leva manus
Dans eis sacrificia.

3. O infelix Daciane,
Plene magnae invidiae,
Consilium das inane
Contra regem gloriae.

4. Hinc totus mundus resonet
Sanctae Fidis sanctitatem
Nosterque chorus celebret
Ejusdem festivitatem.

5. In festo hujus virginis
Cantet turba fidelium,
Chorus beatitudinis
Collaudet Dei filium.

6. Gaude, Agennae civitas,
Et tibi sit jucunditas,
Quoniam Fidis sanctitas
Floret in te et caritas.

Responsoria.

1. Candor virginitatis,
Decus mirae caritatis
Est Fides virgo inclita,
V. Ut Rachel amabilis,
Ut Hesther laudabilis,
Ut Ruth admirabilis.

2. Virginis praeconium
Sanctae Fidis nobilis
Chorus concinentium
Cantet laetus et humilis
Cum coelesti curia,
V. Gaudet cum Dei filio,
Cum sanctorum collegio.

3. Magnae dies laetitiae
Beatae Fidis virginis
Illuxit nobis hodie
Atque beatitudinis;
Hanc Dacianus impius
Martyrizavit impie
Fidemque nostram nesciens
Sed repletus invidia.
V. O infelix Daciane,
Quam tu miser, quam insane.

4. Fides post martyrium,
Quod tulit propter Dominum,
Spiritum exhalavit,
Qui ad coelum volavit,

Ubi gaudet quotidie
Cum rege gloriae.
V. Sancta Fidis anima
Post dura certamina
Paradisum intravit.

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Cantica laetitiae
Decantemus hodie
Ad honorem virginis,
Sanctae Fidis martyris,
Quae propter martyrium
Habet Dei praemium.

Responsoria.

1. O flos vallis virginalis,
Lilium munditiae,
Rosa temporis vernalis,
Fructus patientiae,
Fides, corona regalis
Christi regis gloriae;
V. Virgo Fides, martyr Christi,
Gaudium laetitiae
Et coelestis patriae.

2. Felix Fides sanctissima,
O virgo beatissima,
Quae coeli gaudes curia
Inter sanctorum agmina,
V. Ora pro nobis jugiter,
Ut salvemur perenniter.

3. O beata sponsa Christi,
Virgo beatissima,
Quae Deo grata fuisti,
Virgo prudentissima,
Suscipe jam devotorum
Tuorum precamina;
V. Virgo dulcis et decora
Pro nobis Deum exora.

4. Hodie beata Fides
Migravit ad Dominum,
Ut testatur ista dies,
Sustinuit martyrium,
Unde datur sibi quies
Et magnum solatium;
V. Propter fidem salvatoris,
Jesu Christi redemptoris,
Pervenit ad gaudium.

### In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Dominus regnavit,
Quem Fides laudavit;
Laudando laudemus
Deum et amemus.

Ad Benedictus.

A. Hodie beata Fides
Migravit ad Dominum,
Hodie gaudet in caelis
Sistens ante Dominum,
Unde Deus collaudatur
Nunc et in perpetuum.

### Ad Horas Antiphonae.

Ad Primam.

A. Ad Primam Fidem laudemus
Cantantes officium,
Cujus festum celebremus
Ejusque martyrium,
Ut cum sanctis exsultemus
In choro laudantium.

Ad Tertiam.

A. In Tertiis decantemus
Nunc sanctae et exsultemus
Ei, qui legem posuit,
Peccata nostra diluit.

Ad Sextam.

In Sexta potens laudetur
Et beata celebretur,
Christus, qui nunquam defecit,
Beatam Fidem elegit.

Ad Nonam.

A. In Nona rerum omnium
Laudemus Christum Dominum,
Qui fecit mirabilia,
Det nobis coelestia.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
In quo Fides sanctissima
Conscendit thronum gloriae
Inter sanctos laetissima.

2. Haec est Fides, quae nescivit,
Virum in deliciis,
Sed Jesu Christo fruitur
Sanctis pudicitiis,
Tandem ad coelos transiit
Fruens summis gaudiis.

3. Haec est Fides speciosa,
Plena sancto flamine,
Virgo redolens ut rosa,
Mira pulchritudine,
Coelo gaudet jucundosa
Cum sanctorum agmine.

4. Sancta Fides veneretur
A cunctis fidelibus,
Et verus Deus laudetur
In supernis sedibus,
Et nobis venia detur
De cunctis criminibus.

Ad Magnificat.

Post sacrum martyrium
Et dirum supplicium
Fertur ad coelestia
Virgo Fides egregia,
Quae gaudet in coelestibus
Juncta coeli civibus.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13/14. Cod. Casanaten. B VI 17 (1191). add. saec. 14. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 7 lies: Maria matre virgine? — In 1. Noct. **R** 2, 5 Nitensque hic mira. — In 2. Noct. **A** 4, 1 resonat. — **R** 3, 8 repletus magna invidia. — **R** 4, 3 exaltavit. — In 3. Noct. **R** 2, 1 O Fides. — **R** 4, 9 Praevenit. — Ad Sextam **A**, 1 In rector potens. — Ibid. 2 beata Fides celebretur.

## 24. De sancto Floscello.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Hic martyr multum
nobis sacer est honorandus,
Almis Floscellus
meritis flos magnus habendus,
Qui floret terra
coelique floret in aula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem sidereum
laudemus carmine dignum,
Per quem Floscellus
claro diademate fulget.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praeses sacrilegus
perdebat Valerianus
Christicolas Antonino
dictante tyranno.

2. Jam puer egregius
praeclaris patribus ortus
Baptismi donum
Floscellus sumpserat almum.

3. Doctrina plenus
virtutibus atque coruscus
Hortabatur eos,
fragiles quos perspiciebat,
Ob Christi nomen
gratanter ponere vitam.

Responsoria.

1. Praeses ut audivit,
Floscellum credere Christo,
Adductum verbis
confestim pulsat amaris,
V. Respuat ut sanctum
Christi per saecula nomen.

2. Inclitus ac juvenis
divino numine mactus
Praefecti liquido
demonstrat inania jussu,

V. Nec sibi fas Dominum
prorsus dimittere Jesum.

3. Iratus praeses
florem macerabat amoenum
Ac prohibet rigidis,
ne sit responsio, verbis,
Quin potius humiles
discat proferre loquelas,

V. Vesano satrape,
ne dicat vera, jubetur.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Numina vana colis
vanusque orator haberis,
Quae si non pellis,
sensu privaberis omni.

2. Christus ait nobis:
tortores spernite carnis,
Qui corpus caedunt,
animae nil tollere possunt.

3. Judex, insanis,
Christo dum credere temnis,
Factori certe
terraeque polique marisque,
Daemones et sequeris
cupidos te tradere morti.

Responsoria.

1. Imperitat puerum
praeses torquere venustum,
Quod sibi non * *
humili respondeat ore,

V. Afflictus flagris
duce praecipiente malignis.

2. Post hoc purpureum
juveni spondebat amictum
Et capiti nitidas
auro rutilante coronas

V. Imperiique locum
summi retinere secundum.

3. Muneribus vanis
Floscellus jure repulsis
Alte suspensus
graviter fuit undeque tortus
Robustaeque manus
sudant infantis in artus,

V. Deficiunt membra
jam non capientia plagas.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Carcere post clauso
socium jubet esse leonem
Quem martyr precibus
spoliat spiramine flatus.

2. Tunc pulchre septem
radiantia lumina splendent,
Quae Domini pietas
servo cum thure ministrat.

3. His visis natum
sancto deducit amatum,
Auditu quidem
visuque et voce carentem,
Quem Domini famulus
precibus mox integrat almus.

Responsoria.

1. Praesidis ex jussu
pyram struxere ministri,
Athletam sanctum
cui projiciunt ardendum,

V. Ut si forte forent
maculae, purgentur ab igne.

2. Intactus flammis
stimulis est fixus acutis
Palmis et lingua,
Christi modulamine plena,

V. Accipit a Domino
majoris muneris usum.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Spiritus invictus
habitacula carnea linquens
Est visus multis
comitari coetibus almis.

2. Milia mox septem
populorum credere Christo
Et lymphis vivis
properant cum Caesare nasci.

3. Ex patria sancti
nautae venerabile quaerunt
Corpus et inventum
patriae cum laude reducunt.

4. Conveniunt noti,
confines atque propinqui
Ac margaritam
condunt veneranter honestam.

5. Martyris ad tumulum
si quis conducit egenum,
Ex ejus meritis
fertur medicina salutis.

Ad Benedictus.

A. Gloria, Christe, tibi,
qui nos de martyris almi
Laetificas meritis
Floscelli sive tueris,
Qui nobis pastor,
pater est et luminis auctor.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O martyr, proprios
serva, sanctissime, servos,
Officio vocis
qui solvimus organa laudis,
Ut reddas famulos
securos hoste maligno
Et tecum ducas
ad gaudia luce beata.

Brev. Belnense imp. s. l. et a. — In 1. Vesp. gehen der **A** ad Magn. fünf **AA** super Psalmos vorher, die aber teils prosaisch abgefafst, teils anderen Officien entlehnt sind; so gleich die erste Ave martyr gloriose, ave sidus jam coeleste.

## 25. De sancto Gabriele.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaudeamus
omnes in Domino,
Nam Gabriel
missus est angelus
Ad Mariam,
Deum in utero
Concepturam,
pacem hominibus;
Gaude, virgo,
ita de cetero,
Nam paries,
ut dicit Dominus.

2. Ave, virgo,
Gabrielis ore,
Ecce, ait:
Deum et hominem
Concipies
mirabili more,
Praecursorem
Dominus me misit,
Adnuntio
jam admirabilem
Redemptorem,
quem olim promisit.

3. Beatus es,
angele Gabriel,
Qui veniens
prodis Emanuel,
Exortum est
lumen in tenebris,
Rectis corde
tu bene veneris
Nunc et semper.

4. Repleatur
os nostrum laudibus,
Laudabile
est nomen Domini,
Gabrielis
adventum colimus,
Et divinum
laudate, pueri,
In aeternum.

5. In aeternum
verbum veritatis
Apud patrem
erat et permanet,
Sed descendit
pro gentibus gratis
In virginem
desponsatam Joseph,
Dum Gabriel,
vir auctoritatis,
Fuit missus
ad urbem Nazareth.

Ad Magnificat.

A. Elevetur
humana natio
Et nunc consors
supernae gratiae
Confortetur
mentis devotio
In Domino,
qui misit Mariae
Gabrielem,
archangelum fortem,
Qui virginis
ab aeterno sortem
Nuntiavit
vitamque homini.
O Maria,
ancilla Domini,
Isaiae
legens prophetiam,
Concipies,
juxta Jeremiam
Circumdabis
virum et Messiam,
Novum magnum,
vide, ne timeas,
Ut venisti,
virgo permaneas,
Crede Deo
et redde gratias
Gabrieli.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus
Deum absconditum,
Emanuel,
qui nos visitavit,
Salutemus
virginis uterum,
Quem Gabriel
sanctus salutavit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Admirabile
nomen Emanuel,
Collatum homini,
dum venit Gabriel,
Hic minor angelis
paulo perficitur
Ad nutum virginis
et Deus dicitur.

2. In coelo Dominus
praesidens potenter
Pauperum lacrimas
clementer respexit
Misit archangelum,
qui venit libenter
Pro pace hominum,
quos Deus dilexit.

3. Virtutes Domini,
qui signa facitis,
Signum apparuit
magnum in virgine,
Virgo circumdedit
virum, ut cernitis,
Mulier amicta
solari lumine.

Responsoria.

1. Gloria laus in excelsis
omnipotenti detur,
Et in terra dilectio
hominibus ametur,

Tanti foederis bajulus,
Quem pater misit, angelus
In terris adoretur;
V. Angelus Gabriel
missus ad virginem
Deum adnuntiat
fieri hominem,
Ut homo homine
assumpto salvetur,
Et caro fluida
verbo sustentetur.

2. Archangelus
e coelo mittitur,
Fortitudo
qui Dei dicitur,
Ad virginem
viro confortatam
Tamquam sponsam
Deo praeparatam;
V. Benedixit
Gabriel beatam,
Virtutibus
omnibus ornatam.

3. Benedictus, qui venit
in nomine Domini,
Et benedictus Dominus,
quia venit,
Benedictus sit spiritus
altissimi
Et benedicta Maria,
quae concepit.
V. Congaudeat
turba fidelium,
Benedictus,
qui misit filium.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. A summo nuntius
egressus coelorum
Nazareth veniens
verbum eructavit
Bonum, sed melius,
quae nescivit thorum,
Virgo concipiens
Deum incarnavit.

2. Dominator adveniens
Intrat templum clausis portis,
Et angelus praeveniens
Adnuntiat potentem fortis.

3. In Domino laudabitur
Anima diligens vitam,
Archangelum, qui mittitur,
Et Domini benedictam.

Responsoria.

1. Responso accepto
virginis inclitae
Respondit angelus
Gabriel placide:
Virtus altissimi
faciet utique,
Quod quaeris, Maria,
conserva tacite.
V. Deus potens
verbo et opere,
Omne verbum
audi sollicite.

2. Jam lucis orto sidere
Oportet adorare
Trinitatem et credere,
Quam novit revelare
Gabriel missus aethere,
Mariam salutare;
V. Ecce nunc dies salutis,
Ecce nova, de foedere
Quae venit nuntiare.

3. Ecce concipies,
ait angelus
Ad eam, et virgo
Deum paries
Olim notum in Judeam,
Tunc dices laudes septies,
Cum ut castrorum acies
Gentem disperdet Hebraeam.
V. Fiat virtus mea Deus,
Vir meus et notus meus
Veniat in Nazaream.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantate Domino
   omnes creaturae,
Homines, angeli
   aequalis censurae,
Consortes gloriae
   psallite de jure.

2. Exsultet terra laudibus,
   Exsultent filii Judae,
In terra pax hominibus
   Orta est, lux in nube,
Cum Gabriel archangelus
   Venit pro mundi salute.

3. Benedic Domino,
   virgo benedicta,
Benedic nuntio,
   qui te benedixit,
Inter mulieres
   speciosa, digna
Pro regis filio,
   qui te concupivit.

Responsoria.

1. Laetetur
   omne saeculum
Gabrielis
   adventu jucundo,
Veneremur
   sanctum archangelum,
Nobis missum
   de coeli profundo,
Qui virgini
   attulit annulum
Nuptialem
   et pacis cumulum.
V. Gabrielem archangelum,
Nostrae salutis nuntium,
Nos oportet deprecare
Debita reverentia.

2. Gabriel angelus
   missus ad Mariam
Venturum in eam
   nuntiat Messiam,
Turbatur Maria
   de verbo angeli,
Ancillam se dixit
   humilem Domini;
V. Ecce ancilla humili
   Maria respondente
Fit virgo mater Domini,
Fit verbum caro famuli
   Domino operante.

3. Missus est magnus angelus
   Ad portam in conclave,
Quem misit manus Domini,
   Mariae dixit Ave;
Virginis formidinem
   Demulcens et confortans,
Blando sermone virginem
   Adloquitur exhortans:
V. Ave, virgo, ne timeas,
   Gratiam invenisti
Apud Deum, sed gaudeas,
   Nam eris mater Christi.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mirabilis
   in altis Dominus,
Qui decorem
   cum fortitudine
Indutus est
   in matre virgine,
Ut praedixit
   Gabriel angelus.

2. Jubilate,
   terra et omnia,
Angelica
   psallit melodia,
Plaude, virgo
   nomine Maria,
Mater, sponsa,
   ancilla, filia.

3. Missus est ergo Gabriel
Ad virginem desponsatam
Viro Joseph, praeparatam
Pro venturo Emanuel.

4. Benedicat
Maria angelum
Gabrielem
et laudet Dominum,
Benedicant
homines virginem,
In qua Deus
se fecit hominem.
5. Laudamus te,
beata trinitas,
Quae de coelis
angelum misisti
Ad virginem,
quam praeparaveras,
Laudamus te,
quod nos redemisti.

Ad Benedictus.

A. Benedictus adventus
Sancti Gabrielis,
Benedictus populus
Novi Israelis,
Benedicta bajula
Sit Emanuelis,
Ad quam sanctus missus est
Gabriel de caelis.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gabriel principium
Tecum fuit hora,
Qua Nazareth veneras
Nuntiare nova.
2. Gabrielis memoria
Ab illis benedicitur,
A quibus digne colitur
Nomen virginis Maria.
3. Gabrieli committitur
Nostrae pacis tractamentum,
Angulare fundamentum,
Domus Dei cum jacitur.
4. Gabrielem confitemur,
Venisse desideratum
Propter verbum incarnatum,
Hodie congratulemur.
5. Gabriele nuntiante
Pacem salvator populi
Conclusit verbo angeli
Sermonem confirmante
Matre Maria Domini
Spiritu confortante.

Ad Magnificat.

A. Exsultet coelum laudibus,
Nam datur pax hominibus
Et gaudeat terra nostra,
Quae Gabrielem archangelum
Suscepit gratia multa.
O quam magnum mysterium,
Virginem ferre filium,
Qui populum salvabit,
O quantum beneficium,
O divinum consilium,
O stupendum commercium,
Quis illud enarrabit?

Brev. ms. Piperacense anni 1440. Cod. Capit. Anicien. s. n. — In 1. Noct. A 1, 7 Ad novum virginis. — In 2. Noct. A 1, 7 Virgo concipitur. — A 2, 4 potens. — R 1, 9 Deus potest. — R 3, 1 Ecce virgo concipies. — In 3. Noct. R 3, 3 misit magnus Domini.

## 26. De sancta Genovefa.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaudia festivae
praecurrunt ora diei
Christicolae plebis
celebrant qua laeta puellam,
Virgineum decus ad
laudem Domini Genovefam.
2. Quanto te jubilo
referant, piissima virgo,
Christicolae, sponso
coelesti quae placuisti

Subdita dum sanctis
pareres legibus ejus!
3. Ardens in Christi
jugiter flagrabat amore,
Per quem cuncta sui
molimina spreverat hostis,
Aethere perpetuo
jam perfruitura trophaeo.
4. Haec Christo Domino
servivit virginitate
Corporis et mentis,
pernox et pervigil ipsa
Perfectae vitae
studio flagrante valenter.
5. Ante Deum, pia virgo, preces
effundere certa
Crimine pro nostro
nobis et posce medelam
Infirmis, quae luce poli
perfungere civis.

Ad Magnificat.

A. Sponsa Dei, Genovefa, tuae
memor esto catervae,
Quae tua gesta canens
a te petit auxiliari,
Natalis cum grata tui
solemnia pollent
Et te quaerentes
scelerum fac peste carere.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Praecelso regi,
cui machina subjacet orbis,
Qui sibi sacravit
Genovefam dote beatam,
En labiis hujus memores
et corde canamus.

## In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Speciosa
virgo Genovefa,
Dum carnales
sprevit illecebras,
Summi regis gratissimos
Promeruit amplexus.

2. Hanc sibi coelestis
dicavit sponsus amicam
Praesule Germano,
qui pacti conscius arrham
Virginis ad pectus
nummum praefixerat hujus.

3. Mater adhuc ejus
sapiens carnalia tantum,
Dum faciem tereret,
privata est lumine vultus.

Responsoria.

2. Hujus enim Domini
venerandae exordia sponsae
Coelicolas etiam
celeberrime laetificarunt
Germano promente sacro
spiramine pleno;
V. Nam vero percara Deo,
persplendida mundo
Atque ipsis imitanda viris
erat illa futura.

## In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Artifices operum
sitiebant caumate quondam
Vexati nimium,
potum quibus inclita virgo
Traxit ab arce poli
precibus Genovefa novellum.

2. Pervigil haec nocte
summe celebrare solebat,
Quando resurrexit
calcata morte redemptor
Laudibus et hymnis
magno memorabilis orbi.

3. Forte, gerebatur
manibus qui virginis hujus,
Cereus exstinctus
vehementis turbine venti
Coelitus admisso
rursum rutilaverat igne.

Responsoria.

2. Inciderat quidam
puteum parvissimus infans,
Mortuus hic matris
Genovefae allatus in ulnis,
Mox ejus meritis
vita remeante resurgit.
V. Quem sacra respectans
oratum virgo recurrit,
Ut flenti Dominus
genitrici compateretur.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Filia jam memorata Dei
compassa puellae
Cuidam membrorum
tota virtute carenti
Subvenit sanamque viae
mox reddidit illam.

2. Torpebat quidam
Meldorum debilis urbe,
Cui tulerat vires
manus arida, sed pia virgo
Confestim reparat
eam virtute reversa.

3. Multorum dulci
medicamine vulnera curans,
Aula Dei radians
domus et deitatis amica,
Fer curam nostri
nobisque benigua faveto.

Responsoria.

1. Caecatum quendam
puerum audituque carentem
Ac linguae officio,
pedibus quoque debilitatum,
Exhibitum sibimet
vitiis cedentibus omni
V. Restituit statim
sanctissima virgo saluti.

2. Sponsa Dei, Genovefa, tuae
memor esto catervae,
Quae tua gesta canens
a te petit auxiliari,
Natalis dum grata tui
solemnia pollent,
Et te quaerentes
Scelerum fac peste carere;
V. Jam sponsi thalamos
ingressa tui immaculatos,
Lampadibus nostris
oleum, pia, suffice merum.

3. Extremum peragens
felix Genovefa laborem
Virgo beatorum
merito perrexit in arcem,
Qua divina videns
diademate virginitatis
Fulgebit semper;
tua nunc solatia praebens
Sidereum regem
nobis deposce favere.
V. Implora veniam,
circa nos cuncta secunda,
Ore jugi mala nostra fuga,
pete commoda sollers.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Venerabilis virgo et prudens
Genovefa spretis mundi floribus
Regis aeterni promeruit
Gratissima fieri famula.

2. Ecclesiam sancti
Martini virgo beata
Introgressa crucis
signo precibusque saluti
Restituit plures
obsessos daemone saevo.

3. Haec est virgo nitens,
quae clara lampade sponso
Obvia processit
latura perenniter illi
Obsequii pensum
divis sociata choreis.

4. Aula capax lucis
verique domus pia solis,

Quae medicante manu
miseros compassa fovebas,
Nunc petimus, nostris
occurre per omnia morbis.

5. O felix ancilla Dei,
nos pondere pressos
Exonera et fessos
mordacibus erue culpis,
Aetheris ut pateat
te supplice janua nobis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriosam Christi sponsam
nobilemque virginem
Debitis glorificemus
Genovefam laudibus,
Postulantes, ut eadem
supplicante perfrui
Paradisi mereamur
gloria per saecula.

Brev. ms. S. Genovefae saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl IV⁰ 15. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 751. B. — Brev. ms. Meldense saec. 15. Cod. Parisin. 1054. C. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Pianoren. M 91. D. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. E.

In 1. Vesp. **AA** super Ps. fehlen BE, in A fehlen sie am Feste, finden sich aber am Tage der Translatio.

**A** 2, 2 referam CD. — **A** 5, 5 sq. noli perfundere civis C. — Das Invit. lautet in C und in G zur Translatio:

Virginis insignis sponsum veneremur in hymnis,
Ex cujus signis mordax consumitur ignis.

In 1. Noct. sind **A** 1 und 3 prosaisch, in C auch **A** 2. — In 2. Noct. sind wieder **A** 1 und 3 prosaisch, mit Ausnahme von C. Dieses hat **R** 1 Caecatum quendam etc. **R** 2 gleichlautend mit **R** 2 der 3. Noct. **R** 3 Extremum peragens etc. — In 3. Noct **R** 1 prosaisch. C; **R** 2 lautet ebenda:

R. Flos sudans rorem descendit ad urbis honorem,
Et super hunc florem Deus inspiravit odorem,
V. Flos virgo, ros grata salus, odor cura salutis,

was Bearbeitung eines bekannten **R** de BMV. ist. Von da ab verläuft das Officium in C prosaisch. — Ad. Bened. **A** prosaisch. — Zum Officium gehören die Hymnen: in 1. Vesp.: Genovefae praeconia; ad Noct.: In praeclarae Genovefae; ad Laud.: Chorus exsultet spiritu.

## 27. De sancto Georgio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus principem,
Magnificantem militem
Qui coronae participem
Fecit, in regno divitem,
Coeli civem non hospitem
Georgium;
Cujus magnitudinis
Nullum est initium
Nullus erit finis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Auctorem rerum omnium
Laudet turba fidelium,
Qui martyrem egregium
Coronavit Georgium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Non in via culpae stetit
Ideoque vera metit
Georgius.

2. Fremit frendens Dacianus,
Sanctum martyrem profanus
Membris sectis laniat.
3. Susceptor meus, Domine,
Tu es, pro cujus nomine
Patior fuso sanguine.

Responsoria.

1. Miremur admirabilem
In sanctis suis omnibus
Deum, desiderabilem
In cunctis terrae finibus,
Collaudemus laudabilem
In singulis operibus,
Gloriosum, amabilem
Universis fidelibus,
V. Cujus superbos dejicit
Potentia,
Corda benigne respicit
Humilia.
2. Dum regnaret Dacianus,
Sacrilegus et profanus,
Christi nomen exosum habuit,
Dis culturam vanam exhibuit,
Ad tormenta fideles rapuit.
V. Georgius videns ingemuit
Et tyranno sese opposuit.
3. Sapienti usus consilio,
Ne retardet rerum retentio
Iter ad Dominum,
Aurum non modicum,
Quod habuit, egenis tribuit,
Ut currat expeditius
Et tutius
Ad patrem luminum;
V. Mox vultu interrito
Tyrannum intuetur,
Timore deposito
Christum confitetur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
Sanctum suum Dominus,
Hoste victo vita vivit,
Cujus non est terminus.
2. Verba mea percipe auribus
Clamosa,
Frangi, Deus, praecipe idola
Exosa.
3. O quam admirabile
Nomen tuum, Domine,
Qui confringis sculptile,
Quod est sine numine.

Responsoria.

1. Clamat miles: Quid profane
Sic insanis Daciane,
Ut adorentur idola?
Ego sum Christicola,
Deum unum, verum colo,
Qui creavit omnia;
Huic offerre puri volo
Cordis sacrificia;
V. Ipsi soli servio,
Pro quo persecutio
Saevit in ecclesia.
2. Dii tui sunt vere daemonia,
Inimica humano generi,
Simulacra sensu carentia,
Muta, surda jubeto conteri,
Nullum numen inesse operi
Crede mortalium;
Supra nos est, in nobis habitat,
Qui suos visitat
Creator omnium.
V. Hunc adora et honora,
Ipsum ama, ipsum time,
Si vis salutem animae.
3. Ad haec verba fit insanus
Nec se capit Dacianus
Prae cordis insania,
Inflammatus est furore
Nec recedit ab errore,
Nam Deum persequentium
Crescens semper ad odium
Ascendit superbia.
V. Ad exquisita rapitur,
Extrahitur velocius
Georgius supplicia.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino confidens
Et praesidem deridens
Tormenta non timuit
Nec tortores horruit.

2. Ingressus sine macula
Operansque justitiam
Hic tua tabernacula
Elegit domum propriam.

3. Corona de lapide
Pretioso decoratur,
Purpurea chlamyde
In excelsis honoratur.

Responsoria.

1. Omne genus tormentorum
In conspectu beatorum
Oculorum ponitur;
Ferrea igitur serras
Velut gladios nefarios
Habens in se rota,
Ut concludam brevius,
Quidquid potest gravius
Cogitari,
Jubet praeses praeparari;
Sed martyr Georgius
Mente stat immota.

V. Aurum in fornace
Comprobatur,
Ut fruatur
Perpetua pace.

2. Sic vinum elicitur,
Cum calcata premitur
Uva torculari,
Sic excussa palea
Ad horrea
Granum modo pari;

V. Sic majorem dat odorem
Thus injectum ignibus,
Sonum reddit altiorem
Chorda tensa manibus.

3. Coepit praeses contristari,
Se a sancto superari
Erubescens doluit
Et dolens erubuit;
Conversus ad alia
Impia consilia
Cessat a suppliciis,
Cogitat blanditiis
Posse mentem immutari.

V. Ridens martyr blandientem
Aeque sicut deterrentem
Exaltari, coronari meruit.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. In aeternum
regnavit Dominus,
Cujus regni
non erit terminus.

2. Jubilate et servite
Domino in sobria
Exsultatione,
Portas ejus introite
Et ipsius atria
In confessione.

3. Ad te de luce vigilo,
Deus meus,
et tibi jubilo
Procul pulso
a corde nubilo.

4. Benedicat creatorem
Omnis creatura,
Suum plasma plasmatorem,
Factorem factura.

5. Sol, luna et omnia
Coeli luminaria
Laudent Deum,
Qui propria potentia
Curvat imperia.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
Rex invictus,
Pro quo multis est afflictus
Pressuris Georgius,
Nobis sit propitius.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Qui pretioso sanguine
Natus Maria virgine
Detersit sordes criminum,
Ponens dolori terminum,
Qui Dacianum expulit
Et Georgium transtulit
Ad regionem luminum.

Brev. Belnense imp. s. 1 et a. — Hiezu gehören die Hymnen: Pange lingua gloriosum in 1. Vesp. et Noct. und Praeparatur habens rota zu den Laudes.

## 28. De sancto Georgio.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Digne Deo martyr,
pater o venerande Georgi,
Suscipe servorum,
petimus, pia vota tuorum.
Sintque tua Christo
prece commendata supremo.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laude pia regi
coelorum conjubilemus,
Quo sua devicit
tormenta Georgius almus.

### In Nocturno.

Antiphonae.

1. Laudibus hymnidicis
exsultet turba fidelis,
Laetentur cuncta
coeli gaudente chorea.

2. Coelica namque suo
congaudet curia Christo
Martyris eximii
celebrando festa Georgii.

3. Qui monitis parens
divinis mente benigna.
Respuit hunc mundum,
plenus virtute superna.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martyre devictus
poenas vincente tyrannus
Mandat adesse magum,
valeat quo vincere sanctum.

2. Ritu daemonii
magico magus ecce vocatus
Pocula dat Christi
servo magicata fideli.

3. Cumque bibens martyr
persisteret ore priori,
Fiat ut in numerum,
magus orat, Christicolarum.

4. Sacra percepta
tandem baptismatis unda
Percussus gladiis
Anastasius astra petivit.

5. Artibus iratus
delusus rex Dacianus
Praecipit, ut subeat
vir simplex carceris antra.

Ad Benedictus.

A. Eximius Christi
ductus de carcere martyr
Orans cuncta rotae
gladiis tormenta paratae
Comminuit genibus
flexis nec vulnera passus.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — In Laud. A 2, 1 daemonis Hs. — A 5, 2 delusis Hs. — Das Officium hat nur eine Nokturn, deren RR prosaisch sind.

## 29. De sancto Georgio.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude cum paradi-
sicolis, regio
Sacra, Georgii
vernans martyrio,
Cujus ecclesia
firmata transitu
Deum magnificat
exsultans spiritu.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summo regi summa laude
Jubilando, vir, applaude,
Cui servivit spe coronae
Christi miles in agone.

### In Nocturno.

Responsoria.

1. Caesar aestu
furoris impii
Constitutus
verbis Georgii
Christi testem
dat carnificibus
Cruciandum
duris verberibus;
V. Caesus preces
et vota porrigit
Deum laudans,
qui suos diligit.

2. Caesar casum
dolens Apollinis
In ferventem
picem sartaginis
Balneari
jussit Georgium,
Sed non sentit
picis incendium
V. Mens speratae
salutis conscia,
Quae pressuris
non erat anxia.

3. Praesentatur
vir sanctus Caesari,
Qui contemplans
vultu non hilari
Minis movet
atque blanditiis,
Ut ab ejus
cesset injuriis;
V. Jam securus
martyr de bravio
Spreto gaudet
regis imperio.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnatoris,
qui juste judicat,
Miles fortis
virtutem praedicat,
Qua praecinctus
dignas ex intimo
Laudes ore
solvit et animo.

2. Plebs adsistens
huic spectaculo
Jucundatur
viso miraculo
Et contempto
solis simulacro
Sacro mergi
se petit lavacro.

3. Quos suscepit
divina dextera
Confitentes
culpas et scelera,
Jam torpore
sopito criminum
Puras levant
manus ad Dominum.

4. Sanctus martyr
reversos instruit
Et instructos
baptismo abluit,

Baptizatos
  commendat numini,
Benedicens
  operi Domini.

5. Princeps terrae
  motus invidia
Promulgata
  mortis sententia
Virum Dei
  necari praecipit,
Spiculator
  necandum suscipit.

Ad Benedictus.

A. Deputatum
  sanctum martyrio
Lamentatur
  fidelis concio,
Sed securus
  factus de praemio
Vitae cursum
  finivit gladio.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Georgi,
  pater et domine,
Gemma fulgens
  in coeli culmine,
Exorando
  Dei clementiam
Servis tuis
  implora veniam.

Brev. ms. Vivariense saec. 15. Cod. Avenionen. 219. — In 1. Vesp. ad Mag. **A**, 1 Gaudete cum. — Ibid. 8 spiritu exsultans. — In Noct. **AA** prosaisch. — **R** 1, 1 Caesar faste. — **R** 1, 3 Contiuctus. — **R** 1, 8 injuria. — In Laud. **A** 3, 5 Jam corpore. — **A** 3, 7 Puras lavant. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 1 O fehlt.

## 30. De ss. Georgio et Aurelio.

### In 1. Vesperis.

R. Martyrum sanctorum flores
Vitae spiramen flagrantes
Georgium sanctissimum
Et illustrem Aurelium
Poscamus, ut prece sancta
Nostra diluant crimina,
V. Martyrum patrocinia
Venerantes solemnia.

Ad Magnificat.

A. Solemne devote festum
Plebs celebret fidelium,
Quo sanguine coelestia
Sunt adepti palatia
Christi martyr Georgius
Et flos candens Aurelius,
Quorum nobis propitius
Sit interventu Dominus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi concentu devoto
Jubilemus sidereo,
Per quem martyres beati
Coelo nitent laureati.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inter sidereas
  vernantes sanguine turmas
Consistit clarus
  levita Georgius almus.
2. Hic celebris monachus,
  Bethlehem is finibus ortus,
Expetiit saevos,
  fieret quo martyr, Hiberos.

3. Pollebat socius
meritis Aurelius hujus,
Stemmate dissimilis
sed eadem morte celebris.
4. Hunc genuit claro
de stemmate Corduba mundo,
Post caesum gladio
direxit perfida coelo.
5. Duxerat hic claram
consortem moribus aptam
Ac sibi o dignam,
Nataliam nomine dictam.
6. Haec spernens miseram
mundi cum conjuge pompam
Martyrio vitam
simul est mercata beatam.

Responsoria.

1. Inclita stirpe editus
Cordubensis Aurelius,
Gymnasia Arabica
Adhuc puer postposita,
Christi beata dogmata
Mente volvebat sedula,
V. Inter spinas gentilium
Germinans sicut lilium.
2. Hic puer insignis
jam pubescentibus annis
Cogitur excusans
ab amicis ducere sponsam,
Moribus ornatam,
generoso germine natam;
V. Haec Natalia sacro
fuerat vocitata lavacro.
3. Levita Christi praeclarus,
Bethlemita Georgius
Propter fratrum stipendia
Directus est in Africam,
Hic, ut esset Christi testis,
Cordubam urbem petiit,
V. Ut perciperet bravium
Post hujus vitae stadium.
4. Vir Domini Georgius,
Virtutum gemmis ornatus,
A primaevo vitae flore
Christo studuit placere,
Semper namque laus divina
Ore ejus resonabat;
V. Dulcis erat alloquio,
Vultu nitens angelico.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Divino vere
fervens Aurelius igne
Mente voluptatem
carnis restrinxerat omnem.
2. Divisis thalamis
et votis associati
Angelicis fuerant
Aurelius et Natalia.
3. Dum recubant stratis
soli sub tempore noctis,
Adfuit his juvenis
coelorum clarior astris.
4. Protinus Aurelii
puer ille thorum petit almi,
Quem cruce consignans,
promens sibi mystica quaedam.
5. Inde cubile sacrae
puer expetiit Nathaliae,
Qua virum pridem,
sic sanctificavit eandem.
6. Hinc plane juvenem
fore credimus omnipotentem,
Qui semper proprios
dignatur visere servos.

Responsoria.

1. Dum Nathalia pervigil
Resideret in conclavi,
Ecce, directa superis
Adstat virgo dicens sibi:
Tempus instat certaminis;
V. Palmam sanguine togati
Capietis, judex dicit.
2. O veneranda martyrum
Gloriosa certamina,
Qui in suis corporibus

Pro Christo imania
Pertulerunt tormenta.
Et ideo percipere
meruerunt immarcessibilem
aeternae gloriae coronam
V. Despecta namque suorum
corporum cruciatu
Saevientem mundum
Dei pro amore vicerunt.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Justi fulgebunt
ut sol in regno polorum,
Immortale decus
cum Christo semper adepti.

Responsoria.

1. Sancto etenim Aurelio
ostensum est necnon Nataliae,
Quod venturus erat
martyrii socius
Qui fuerat levita,
Georgius a patre dictus,
Condignum meritis
nomen habens monachi.
V. Hic socios saepe
hortatur contemnere mundum
Gaudentesque simul
martyrium accipiunt.

Brev. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 13239. — In 2. Noct. R 3 und 4 prosaisch; von 2 R der letzten Nokturn an verläuft das ganze Officium prosaisch. Es steht daher zu vermuten, daſs dasselbe nicht ursprünglich monastisch gewesen ist.

## 31. In Translatione s. Gerardi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, pastor egregie,
Gerharde, praesul inclite,
Coelesti felix gloria
Nobis praebe suffragia,
Ut tuis fulti meritis
Solutis mortis laqueis
Christi favente gratia
Poli scandamus supera.
R. O pastor, proprios
refove miseratus alumnos,
A scelerum nexu
clementi solve precatu,
Sit per te nobis
aeterni gloria regni.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeternum regem Dominum
Adoret plebs fidelium,
Gerardum, sanctum praesulem,
Qui dat coeli participem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Clara natus prosapia
Gerardus, Christi hostia,
Ab annis puerilibus
Fit templum sancti spiritus.
2. Hic velut sertum floribus
Sacris comptus virtutibus
Ad nullum mundi vitium
Pium flectebat animum.
3. Timore plenus Domini
Sic sanctae vitae studuit,
Ut foret dignus culmine
Pontificalis gratiae.

Responsoria.

1. Spes crescit plebis
solemnia sacra colentis
Praesulis eximii
splendentia laude Gerardi,
Cujus vita fuit
miris memorabilis actis;
V. Moribus et factis
verbis simul ardua gessit.

2. Ad senium mundo
per longa volumina ducto
In nostris tenebris
oritur fax splendida lucis,
Pontificem sanctum
Christo tribuendo Gerardum,
V. Stemmate praeclarum,
praesago nomine dictum.

3. Urbis Agrippinae
natum sub moenibus amplae,
A puerisque sacrum
Domino servire ministrum,
Imbuerat plene
gemino sapientia fonte
V. Quem vas electum,
studiis apprime probatum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adscitus cleri precibus,
Totis reclamans nisibus,
Ad praesulatum cogitur
Et ad Leucham dirigitur.

2. Crebra ducens jejunia,
Sese mactans inedia,
Dum lymphae potum petiit,
Vini saporem reperit.

3. Auxit victum pauperibus,
Dum famem perfert populus,
De modica farinula
Multa pascendo milia.

Responsoria.

1. Hic Leuchae sedi
laudatur praesul haberi,
Triticeae messis
tribuat qui pabula servis,
Ut duplicata ferat
Domino veniente telenta;
V. Hos trahit exemplo,
verbi quoque famine claro.

2. Prodigiis firmat,
dictis quoque dogmata monstrat,
Immutans laticem
dat vini ferre saporem,
De modico farris
satiantur milia plebis.
V. Restauratque cibos,
furtim dum pascit egenos.

3. Pauperis in specie
Christum sibi cernit adesse,
Eripuit populum
miseranda clade subactum,
Dante Noto pluvias
tribuit splendere lucernas,
V. Coenobium sancti
conservat ab igne voraci.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christus, merces fidelium,
Suum revisit famulum,
Sub pauperis imagine
Sese dignatus pandere.

2. Suis devotis precibus
Dei praesul emeritus
A clade plebem liberat,
Quam saeva mors invaserat.

3. Sancte Gerarde pontifex,
Virtutum laude multiplex,
Tuus deposcit populus,
Conjunge nos coelestibus.

Responsoria.

1. Pluribus his aliis
sancte vivendo peractis
Eripitur terris
sociandus in aethere justis,
Spiritus alta petit,
claret virtutibus orbi;
V. Ad tumulum cujus
recipit vir languidus artus.

2. O pastor, proprios
refove miseratus alumnos,
A scelerum nexu
clementi solve precatu,
Sit per te nobis
aeterni gloria regni,
V. Ultima cum vitae
provenerit hora supremae.

3. Clementer plebi
miserator adesto precanti,
Qui recolendo tui
solemnia, Christe, Gerardi
Ipsius ob meritum
tibi dat praeconia laudum.
V. Hic tibi complacitus
factis et nomine clarus.

### Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Gerardus praesul nobilis,
Custos ovilis Domini,
Vitae nutrivit pabulo
Commissos sibi populos.
2. Talenta sibi credita
Hic reportat duplicia,
Et meruit percipere
Regnum aeternae gloriae.
3. Hic satagens viriliter
Et vigilans sagaciter
Implevit jussa Domini
Fidelis more famuli.
4. Hymnum canamus Domino,
Gerardum sacerdotio
Qui digne fungi tribuit
Et coeli regnum contulit.
5. Laudum canat concentibus
Christum clerus et populus,
Beato qui perpetuam
Gerardo confert gloriam.

Ad Benedictus.

A. Gerardus praesul nobilis,
Servus prudens et humilis,
Qui sanctitatis copia
Completo vitae spatio
Coeli locatur solio,
Fruens perenni gloria;
Corpus ejus terrae datur,
Sepultura decoratur
Tullensis ecclesia.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Gerarde, Tullensium
Bone dux et refugium,
Pro nobis jugiter ora,
Audi preces humilium,
Pium praestans suffragium
Et nunc et in mortis hora.

Brev. ms. Tullense saec. 15. (in Privatbesitz). A. — Brev. ms. S. Deodati saec. 16. Clm. Monacen. 10 909. B. — Brev. Tullense imp. Parisiis 1510. C — In 1. Vesp. ad Magn. **A** fehlt B. — In Laud. **A** 1, 4 sibi fehlt B. — **A** 2, 1 sibi commissa. B.

## 32. De s. Gregorio Lingonensi.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Hic sacer est praesul
coelorum jure colonus,
Gregorius, qui mundanae
sibi gaudia pompae
Supposuit regnumque poli
virtute petivit.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus regem
cunctorum sceptra tenentem,
Qui sibi Gregorium
sociavit in aethere sanctum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gregorius claris
   fulsit natalibus ortus,
   Doctrinae studiis
   moribus atque piis.
2. Germinis egregii
   genitus de stirpe senatus
   Sicut flos mundo
   prodiit eximius.
3. Traditus ad sophiae
   teneris rudimenta sub annis
   Doctores studuit
   aequiparare brevi.

Responsoria.

1. Hic puer insignis,
   divino plenus amore,
   Vincebat fragiles
   maturis sensibus annos,

V. Virtutes servans,
   vitiorum pondera calcans.

2. Post lubricum tempus
   superans aetatis adultae
   Munditiae nitidos
   ornavit floribus artus

V. Et templum sancti
   se spiritus esse paravit.

3. Jam vir praecipuo
   tunc sublimandus honore
   Efficitur princeps
   Aeduorum missus ad urbem

V. Justitia comitante regens
   sibi credita jura.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virtutis laudem
   cauto vibramine pensans
   Aequus erat rectis,
   implacidus tumidis.
2. Integer illecebris
   carnis contagia sprevit,
   Donec legitimum
   exciperet thalamum.
3. Tandem nobilium
   conjux sortita virorum
   Progenie natos
   edidit ingenuos.

Responsoria.

1. Namque quater denos
   comitatu rexerat annos,
   Cum veneranda comes
   suprema sorte quievit;

V. Tunc Domino propius
   Gregorius almus adhaesit.

2. Haec inter proprios
   plebs desolata magistros
   Lingonica electum
   petit hunc recipitque patro-
   num,

V. Quem mundi rector
   sacravit neumate sacro.

3. Mox virtute potens,
   fidei circumsitus armis,
   Expugnat rabidos
   plebis de cordibus hostes,

V. Non passus laceram
   fore se pastore catervam.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Frangere jam vehemens
   tunc parsimonia coepit
   Corporeas vires
   rata simulque quies.
2. Triticeos panes
   aliis frangendo ministrans
   Clam duris hordei
   se dapibus refovens.
3. Vitrea cum vitreo
   sinu labat pocula vase,
   Sed sitiens modicam
   excipiebat aquam.

Responsoria.

1. Noctibus innumeris
   Christum venerabilis orans
   Cum sanctis sacras
   psallebat pervigil odas,

V. His junctus regi
reddebat vota tonanti.

2. Talibus insignem
meritis fessumque labore
Christus Gregorium
vocat ad coelestia sanctum,

V. Inter coelicolas
turmas sine fine locandum.

3. Terrenae molis
trabea cum pace solutus,
Coetibus angelicis
conjunctus ad aethera scandit,

V. Felix perpetuo
coeli potitus honore.

Ad Laudibus.

Antiphonae.

1. Postquam vir Domini
coeli secreta petivit,
Virtutum signis,
quantus erat, paruit.

2. Fulgebat facies
rosei velut inclita flores,
Lilia ceu renitent,
cetera membra micant.

3. Exlamant vincti,
dum fertur ad antra sepulchri,
Quos carcer meritis
ejus abire sinit.

4. Pontificem vinctus
quidam, dum ducitur, orat,
Quem mox divinum
liberat auxilium.

5. Ad tumulum sancti
dextra privata puella
Sensit virtutem
coelitus exhibitam.

Ad Benedictus.

A. Gloria sanctorum,
decus et laus, Christe, tuorum,
Gregorii nobis
precibus da gaudia coeli.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O quam dulcisonas,
pastor dignissime, laudes
Exsultat chorus
angelorum, ubi personat omnis
Cantus, in aetherea
tibi nunc fragor intonat aula.
Jam regem cernis
cui te famulando dedisti,
Nunc igitur, petimus,
nobis succurre benignus.

Brev. ms. Lingonense anni 1480. Cod. Lugdunen. 474. A. — Brev. ms. Lingonense saec. Cod. Calmontan. 26 (Invent. Robert) B. — Brev. ms. S. Nicolai Divionen. saec. 14. Cod. Parisin. Nouv. acq. 402. C. — In Laud. **A** 5, 2 dextram deprivata C. — In 2 Vesp. ad Magn. **A**, 8 famulando subisti C.

## 33. De sancta Helena.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Jucundemur, adest enim
Helenae solemnitas,
Quam de stirpe generosa
produxit gentilitas,
Sed adduxit vera fides
hanc ad Christi semitas,

2. Haec Silvestri cum vidisset
gloriosi precibus,
Invocantis nomen Christi,
signa cum virtutibus,
Derelictis est conversa
profanis erroribus.

3. Nec insigni caret signo
reginae conversio,

Nam dum sui baptimalis
sacra fit immersio,
Quinque gaudet renatorum
milium consortio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post baptismum jam dotata
Dote sancti spiritus,
Sic scripturae veritatem
indagabat funditus,
Ut id tandem adfirmaret,
quod negabat primitus.

2. Circa novum testamentum
meditando jugiter
Morte Christi mortis locum
notat principaliter,
Quem videre mente videns
cupit corporaliter.

3. Nutu regis regionem
egressa finitimam,
Crucis lignum ut requirat,
petit Jerosolymam,
Comitivam pugnatorum
secum ducens maximam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Accersitos legis doctos
hinc subdit examini,
Quos minatur mancipandos
flammarum discrimini,
Nisi locus ostendatur,
quo crux latet Domini.

2. Tradunt Judam, quem coercet
nunc fame nunc carcere,
Donec ejus velit votum
salubre perficere;
Implet demum, sic inventrix
fit crucis heriferae.

3. Laudis ergo, chorus iste,
jam Helenae recolas,
Ei namque tua vota
non incassum immolas,
Per quam scala reperitur
vehens ad aureolas.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Mazarin. 372 (776). — Die übrigen Teile des Officiums prosaisch. Hymnen: in Vesp.: Factor orbis et omnium (Anal. IV, 150); in Noct. Praeclaris Helenae; in Laud.: Jesu redempter gentium.

## 34. De s. Helena Trecensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In Helena
sponsa et virgine
Sponsum novo
laudemus carmine,
Ut placens sit
laus nova, pristinae
Deponantur
errorum sarcinae.

2. Voce, voto
virginis Helenae
Psallat laudes
senex cum juvene,
Immo psallat
omnis conditio
Et solemni
concrepet gaudio.

3. Speciali
resultet gaudio
Ecclesiae
Trecensis concio
Coram sanctis
membris virgineis
Resonando
tubis argenteis.

4. Urbs Trecorum,
summo tripudio

Pretioso
gaude de spolio,
Naturensis
amisit regio,
Quod Johannis
habes ingenio.

5. Excubantes
in laude seduli
Coram gleba
sacri corpusculi,
Dicant omnes
et dicant singuli:
Ave, salus
Trecensis populi.

R. Felix florem
produxit Graecia,
Quem nunc felix
habet Campania,
Felix locus,
felix ecclesia,
Floris hujus
vernans praesentia,

V. Immo felix
quaecunque patria
In Helenae
certat obsequio.

Ad Magnificat.

A. Ave, virgo,
cujus praesentia
Trecassina
floret ecclesia,
Ave, cujus
pia suffragia
Post Graeciam
nunc sentit Gallia,
Roga regem
regentem omnia,
Ut temperet
iram clementia.

### In Completorio.

Ad Nunc dimittis.

A. Ecce, comples,
immense Domine,
In Helena
praeclara virgine,
Quod scripturae
praedicant pristinae,
Dans salutem
in manu feminae.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

In Helena,
quae flos est virginum,
Creatorem
laudamus Dominum.

### Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Ad honorem
Helenae, filiae
Agryelis
atque Gratuliae,
Invigilet
chorus psalmodiae.

2. Ex radice
processit regia
Virga poma
ferens praedulcia,
Virgo virens
in coeli curia.

3. O dulcis Helena,
clara natalibus
Et beneficiis
et mirabilibus,
Succurre famulis
ad te clamantibus.

Responsoria.

1. Inclinata
palma ramusculo
Dulci pascit
Helenam epulo,
Desponsatur
vidente populo
Destinato
coelitus annulo;

V. Per columbam
transmissus annulus
Carnis facit
ut cesset stimulus.

2. O praeclarum
Dei miraculum,
Cum sopori
dedisset oculum,
Turtur pennis
et alis geminis
Ventilabat
faciem virginis.
V. Helenae dupliciter
turtur famulatur,
Per quem musca refugit,
aestus temperatur.
3. Aegrae carnis
medere stimulis,
Virgo, nostris
praesens sub oculis,
Virgo, carens
rugis et maculis,
Virgo, tantis
clara miraculis.
V. Clamantibus
succurre famulis,
Universis
simul et singulis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Virgo, virga tyrannorum,
Sicut probat Alphybus,
Te laudantem serva chorum
A luporum morsibus.
2. Cletus, evangelio
Simul et cilicio
Clam pectus armatus,
Helenae judicio
Et regis imperio
Praesul est creatus.
3. Ante fuit
ei praecognitus
Suae matris
imminens transitus,
Quam infirmam
flevit medullitus,
Qua defuncta
cessavit gemitus.
4. Audita est vox de caelis
In solamen Agryelis
Affecti tristitia,
Quod requiem sine fine
Regi simul et reginae
Praeparavit filia.
5. O miranda
virginis gloria,
Nubes pluunt
rosas et lilia,
Quando coeli
transit ad atria.

Ad Benedictus.

A. Ave, virgo illibata,
Trecensium advocata
Coram sponso tuo,
Ave, prudens et beata,
Ad nuptias praeparata
Vase non vacuo;
Ave, Deo desponsata
Et jam Christo copulata
Nexu perpetuo,
Ut amatus, fac amata,
Sua remittat errata
Gregi exiguo.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virgo Helena,
plena dulcedinis,
Pudoris speculum
viris et feminis,
Hostiam suscipe
devoti carminis
Et culpas dilue
praesentis agminis.

Brev. ms. Trecense saec. 13. Cod. Trecen. 1147 A. — Brev. ms. Trecense saec. 14. Cod. Trecen. 1148. B. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1981. C. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1847. D.

## 35. De sancto Hugone.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Pange, lingua monachorum,
Diem festum gaudiorum
Dignis cole laudibus,
Quo virtutum vas decorum
Fulget Hugo, splendor morum,
Bonae Vallis fratribus.

2. O quam digna
coelo nativitas,
Quam praeclara
mundo solemnitas,
Ex qua nostrae
vallis humilitas
Gloriatur et ornatur
angelorum societas.

3. Haec est vallis dans frumentum,
Sanctitatis alimentum
Ministrans fidelibus,
Hoc splendore firmamentum
Nostrum capit incrementum
Signis et virtutibus.

4. Dat Hugonem Novum Castrum
Castris Dei pugilem,
Quem praeclari velut astrum
Dant parentes nobilem,
Bonae vallis regens claustrum
Legem docet humilem,
Suum fundens alabaustrum
Reddit eam fertilem.

5. Cum invocat, coelitus
Justus exauditur,
Procellis expositus
Pace stabilitur.

R. Benedicta bona Vallis,
Quae serpentis artem fallis
Bonitatis gratia,
In te fulget vitae callis,
Sanctus Hugo, cui psallis
Devote praeconia,
V. Pretiosum vas crystallis,
Auro, gemmis et metallis
Refulget in gloria.

Ad Magnificat.

A. O gemma carbunculi,
Auro fulvo lumine
Circiter ornata,
Coelestis oraculi
Plena sanctitudine
Arca fabricata,
Sume preces filiorum,
Pater Hugo
Et de jugo
Libera malorum.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus Christo regi
Canentes praeconia,
Qui Hugonis gratia
Vigili custodia
Pastor adest nostro gregi.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir
hic sanctus, Domine,
Te delectat
virtutum germine,
Tamquam lignum
ex legis semine.

2. Quare Christo praedilectus
Filius vocatus
Sic exstitit semper rectus
Et subjectus
Deo vir beatus.

3. Exaudi pro filiis,
Deus, deprecantem,
Quem virtutum radiis
Facis corruscantem.

Responsoria.

1. Primus ordo fundamenti
Jaspidis positio,
Novi germen incrementi
Coelestis praelatio
Est Hugonis piae menti
Festina conversio,

V. Mundi fuga scaenolenti,
Regularis indumenti
Solemnis assumptio.

2. Vitae sanctae speculum,
Lux religionis,
Est saphyrus pater mirus,
Dans terris miraculum
Conversationis,

V. Sic transcendens omne votum
Se in coelum rapit totum.

3. Vas electum vir beatus,
Fratrum flos eximius,
Loco coeli sublimatus
Deo gratus
Fulget calcedonius,

V. Amicus Dei vocatus
Ascendit superius.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocat coelitus,
Justus exauditur,
Procellis expositus
Pace stabilitur.

2. Verba pacis dulcia
Fervent igne caritatis,
Illustrant errantia
Corda luce veritatis.

3. Domine, qui ex more
Te praedicavit mirum,
Gloria et honore
Coronas sanctum virum.

Responsoria.

1. Quarto praestat ordine
Smaragdus victorem,
Vir sanctus ex germine
Virtutum decorem,
Bonae Vallis culmine
Pastoris honorem,
Suo gregem lumine
Trahens ad amorem;

V. Rectus cum dulcedine
Deo fructum semine
Reddit ampliorem.

2. Est gemma sardonica
Admirandae virtutis,
Manus patris medica
Membris destitutis,
In morbis deifica
Ministra salutis,

V. Arte pollens coelica
Signa dat benefica
Claudis, caecis, mutis.

3. Sanctitatis sardio
Lingua corruscavit,
Cujus ministerio
Vivos informavit,
Defunctos salvavit,
Solvens reum,
Placans Deum
Coelos penetravit.

V. Justo palpans praemio
Hostes Sion gladio
Spiritus fugavit.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, qui hic habitas
Aut qui intus nos visitas,
Nisi Patris Hugonis
Servat suos, quos agitat,
Fervor devotionis.

2. Domine, rex gloriae,
Cuncta qui das bona,
Sanctum patrem gratiae
Firmans tuae dona,
Perennis laetitiae
Dotasti corona.

3. Domine, qui ascendit
Mundus instans opere,
Accipiens, quod intendit,
Benedictus munere.

Responsoria.

1. Fulget lapis amabilis
Instar auro chrysolithus,
Virtus patris mirabilis
Invitatur divinitus
Cursus naturae solvitur,

Panis fit exsecrabilis
Aquae potus infibilis,
Transit in lignum coelitus.
V. Benedictio stabilis
Cibos mensae damnabilis
Evacuavit penitus.

2. Splendor mirae claritatis
Educit topazion,
Dum vir summae caritatis
Refovens incendium,
Sanctum in altari
Offert sacrificium
Deo salutari;
V. Columbae mysterium
Videntur mirari,
Crux per mundi pretium
Cum lucro portari.

3. Multiformis radiat
Beryllus, qui nuntiat
Dei visiones,
Occultas coelestium,
Futuras praesentium
Reddit rationes.
V. Novit mentes hominum,
Pandit umbram criminum,
Signat passiones.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Dominus rex istam domum
Induit decorem,
In qua sicut cinnamomum
Sanctus Hugo dat odorem.

Ad Benedictus.

A. Benedictus gloriae
Dator metuendus,
Benedictus gratiae
Dies recolendus,
Viennae provinciae
Superextollendus;
Benedicat hodie
Praesenti familiae
Pater reverendus.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Vespertinum suscipe,
Deus, sacrificium
Patris, cujus adipe
Cor reple psallentium.

2. Ad Vesperum demoratur
Fletus filiorum,
Sed in mane gratulatur
Hugo, splendor morum.

3. Vesperascit tibi dies,
Et lucescit tibi quies,
Plenum vas aromatum,
Pace habens sabbatum.

4. Vespere venit columba
Ad arcam cum frondibus,
Sacrum corpus in hac tumba
Coruscat virtutibus.

5. In Domino sapiens
Justum, quod dilexit,
Aequitatem faciens
Oves juste rexit,
Pascens verbi radio,
Vitae beneficio.

Ad Magnificat.

A. O virtus altissima
Sancti patris Hugonis,
O stella clarissima
Coelestis mansionis,
Ad aeternum regem
Duc, pastor, piissima
Prece tuum gregem.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). — In 1. Noct. **A** 3, 2 deprecationem. — **R** 2, 5 conversionis. — In 2. Noct. **A** 3, 4 coronans. — **R** 2, 1 sardonius. — In 3. Noct. **A** 1, 3 nisi patris. — **R** 3, 8 umbra. — In 2. Vesp. **A** 2, 2 demorabitur. — Zweifellos ist dies Officium ursprünglich monastisch gewesen und für die Abtei N. D. de Bonnevaux geschrieben.

## 36. De s. Jacobo Tarentasiensi.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, metropolis,
Urbs Tarentasiae,
Bonae gens indolis,
Schola justitiae,
Dum vacas idolis
Atque spurcitiae,
Mittitur ad te Jacobus.
2. Vir illustris Honoratus,
Mundo placens, Deo gratus,
Arelati praesulatus
Tunc tenebat apicem.
3. Circa montes Alpium
Fuit mos gentilium
Figmenta sculptilium
Tamquam Deos colere.
4. Honoratus nutu Dei
Propter causam hujus rei
Paganorum flens errorem
Mittit verbi largitorem.
5. Arat et serit Jacobus,
Quod non fert hostis improbus,
Per fines Tarentasiae
Fana fiunt ecclesiae.

R. Hic apostolice
Suscitans famulum,
Precibus publice
Reserans tumulum,
Quem per quatriduum
Mors secum collocat,
Non est ambiguum,
Jacobus revocat.
V. *Venite et videte opera Dei, quae posuit prodigia super terram.*

Ad Magnificat.

A. Jacobus inclitus,
Flos archipraesulum,
Pastor sollicitus
Et gregis speculum,
Convertit primitus
Ad fidem populum
In Tarentasia.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Voce pari, mente pura
Persolvamus laudum jura
Christo regi, cujus legi
Nos subegit Jacobus.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Jacobus,
genere nobilis,
Respuens prospera
vitae volubilis,
Decorem patriae
desiderabilis
dilexit.
2. Deserens funditus
arma militiae
Peragrat exsulans
fines provinciae,
Carnis luxuriam
frangit esurie
nimia.
3. Post idolatriam
fit catechuminus,
Baptismi gratiam
suscipit protinus,
Per quam abluitur
quodlibet facinus
hominis.

Responsoria.

1. Venerandi confessoris
Jacobi solemnia
Solvens jura sui moris
Celebret ecclesia,
Per quem portat salvatoris
Jugum Tarentasia,

V. *Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.*

2. Verbis pluens, minis tonans,
   Coruscans miraculis,
   Dum jejunos refocillat
   Auditores epulis,
   Gloriosus invenitur
   Circumquaque populis.

V. *Justus Dominus et justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus.*

3. Honorati Jacobique
   virtus et miracula
   Lirinensi depulerunt
   draconem ab insula,
   Ubi tandem monachorum
   fiunt habitacula.

V. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Junctus erat bos cum bove,
   Ligna trahens domus novae,
   Bovem pigrum tardi cursus
   Coram multis vorat ursus

2. Movet fama Dei virum,
   Supervenit, fecit mirum,
   Increpatum velut joco
   Junxit ursum bovis loco.

3. Quantitate vel mensura
   Trabes brevis in structura,
   Dum vir Dei deprecatur,
   Quinque pedes augmentatur.

Responsoria.

1. Erat princeps in Gallia
   Regni movens imperia,
   Cujus erat notitia
   Jacobo necessaria.

V. *Apud Dominum gressus hominis dirigetur et viam ejus volet.*

2. In asello congeriem
   Nivis ponit et glaciem,
   Ut discat urbis seriem,
   Regnantis adit faciem.

V. *Benedicite, gelu et frigus, Domino, benedicite, glacies et nives, Domino.*

3. Aestivo nix in tempore
   Velut durata frigore
   Aestus attacta robore
   Frigidior est marmore.

V. *Benedictus Deus Israel, quia facit mirabilia solus.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iter capit pervium
   Jacobus et ceteri,
   Dolet hinc daemonium,
   Et tortores inferi
   Moliuntur, Jacobum
   Et sequaces laedere,
   Sed omnino reprobi
   Suo cadunt vulnere.

2. Caumate prae nimio
   Quaerentes umbraculum,
   Umbrae beneficio
   Se committens paululum,
   Nivis miser bajulus
   Dum vult requiescere,
   Ei studet aemulus
   Ocellum eruere.

3. Ocellum eripuit
   Corvus nequam asino,
   Ereptum restituit
   Dispensante Domino,
   Asinus recuperat
   Interventu Jacobi,
   Quod ante perdiderat
   Hostis arte reprobi.

Responsoria.

1. Caritatis
   uniti glutino
   Laetum iter
   agunt in Domino,

Cuncti valent,
  cuncta sunt prospera,
Dei vivunt
  protecti dextera.

V. *Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.*

2. Nutu Dei,
  rectoris omnium,
Aegritudo
  subintrat febrium,
Ad honorem
  ignoti praesulis
Infirmatur
  quidam ex famulis.

V. *Dominus erigit elisos, Dominus dirigit justos.*

3. Servus Dei
  tristis et anxius,
De confratris
  salute dubius,
Iter agens
  plorans ingreditur
Et suspirans
  pie conqueritur.

V. *Salus autem justorum a Domino, est protector eorum in tempore tribulationis.*

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Febris invaluit
  Nulli compatiens,
Cum Deo placuit,
  Languidus moriens
Emisit spiritum.

2. Praesul quidem hoc ignorans,
Pro salute fratris orans,
Affligit se crebro plorans
  Pro sodalis absentia.

3. Praesentatus principi,
Monet nivem recipi,
Princeps ira tumidus
Tamquam canis rabidus
Servum Dei impetit.

4. Avertit se cultor Dei
Nec respondens quidquam ei,
In commune princeps ictus
Diris poenis est afflictus.

5. Redit praesul ad curiam
Et dat offensae veniam,
Prostratum suis genibus
Sanat fugatis febribus.

Ad Benedictus.

A. Princeps itineris
  Causam percipiens,
Non tenax muneris
  Munera largiens
Cendronum praebuit,
  Villas et alia,
Quae poni voluit
  In privilegia.

## In 2. Vesperis.


A. Christianae dux cohortis
Fit praesagus suae mortis,
Eapropter Honoratum
Quaerit apud Arelatum.

V. Ambo simul una die
Per coelestes gradus viae
  Coelo mittunt animas.

Ad Magnificat.

A. Praesulis ad reditum
  Infirmus obierat,
Flet decus antistitum,
  Quem semper amaverat,
Demum tumbam adiens
  Dat ploratus cum lacrimis,
Sepultus hoc audiens
  Procedit ab intimis.

Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Parisin. 18000. A. — Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. B. — Brev. Tarentasiense imp. Lugduni 1519. C. — In 1. Noct. **A** 1, 3 sq. respuens volubilis prospera vitae **A.** — In 2. Noct. **A** 2, 3 Increpantem A. — In Laud. ad. Bened. **A** 3 muperis A. — In 2. Vesp. **A** 4 Quaerit ad Arelatensem A, apud Arelam B. — Ad Magn. **A** 1 Praesulis quidem ad A. — Ibid. 5 tumbam audiens. A.



## 37. De sancta Katharina.

### In 1. Vesperis.

R. O Christi pietas,
o virtus atque potestas,
Virginis ex membris
sacri fluit unda liquoris,
Unde fides aegris
infundit dona salutis,
V. Virginis ob meritum
manet hoc memorabile signum.

Ad Magnificat.

A. Inclita sanctae virginis
Katharinae solemnia
Suscipiat alacriter
Pia mater ecclesia.
Ave, virgo Deo digna,
Ave, dulcis et benigna,
Obtine nobis gaudia,
Quae possides in gloria.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virginis atque Dei
nato jubilemus herili,
Cui Katharina duplam
fert martyr virgoque palmam.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Filia Graecorum,
regis Costi, Katharina,
Coelorum regis
Christi thalamo nitet alto.
2. Luce creatoris
flos et decus hoc erat orbis,
Siderea forma
cum vita menteque pulchra.
3. Divina cluit
terrena philosophia,
Artibus et libris
verboque potens deitatis.
4. Hanc multi late
cuperent regesque ducesque
. . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . .
5. Imminet Augustus,
tempestas Christicolarum,
Tunc Katharina neci
se praeparat hostia Christi.
6. Concurrit populus
fanis litare profanis,
Mors est saeva piis,
caterva resistit iniquis.

Responsoria.

1. Regna tenens patria
Christo pupilla relicta,
Alexandrina
Katharina regebat in aula,
V. Argos virgo regens,
pia, larga Deoque cohaerens.
2. Sancta virgo Katharina,
Costi regis filia,
Summo patri Deo digna
mundi sprevit gaudia,
V. Tam divinis quam humanis
erudita studiis.
3. Cogit Caesar Christi servos
libare daemonibus,
Sed tyranni virgo jussa
voce damnat libera,
V. Saevit hostis innocentes
perimens atrociter.
4. Angelus e coelo
fovet hanc cum lumine claro,
Ne timeas, virgo,
vinces, ait, auspice Christo,
V. Carceris in claustro
summus Michael radiando.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stat Christi testis
tantis congressa sophistis,
Spectaculum miseris
hominumque parata catervis.

2. Argumentantes
argumentosa refellit,
Destruit idolatras
et praedicat omnicreantem.
3. Rex stupet et proceres
circumfusaeque cohortes,
Vicit bellatrix
Christi, tacuere rebelles.
4. Affirmat rhetor
cunctorum vera locutam
Et solum Dominum
Katharinae rite colendum.
5. Ut Caesar vidit,
quia virgo sic superavit,
Arguit elingues
prorsus factos sapientes.
6. Rhetor magnificus
pro cunctis dixerat unus:
Non sumus hic victi,
sed Christo credere docti.

Responsoria.

1. Cum sis rex hominum,
regnatori superorum
Debueras Christo,
non sculptilibus famulari,
V. Arguit in faciem
doctissima virgo furentem.
2. Mundi philosophos
Caesar vocat atque disertos,
Ut certent cum una
Christum referente puella,
V. Quinquaginta micant
ex agmine rhetoricorum.
3. Insultant igni,
Katharina, tui tot alumni,
Martyriique meras
rapit hinc gens docta coronas,
V. Non comburuntur,
sed in fornace coquuntur.
4. Christo credentes
flammas intrant sapientes
Et precibus fusis
migrant ad gaudia lucis;
V. O virtus Christi,
nil praevalet artubus ignis.

## In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Laeta mente tibi,
virgo dignissima Christi,
Festa celebrantes
nos audi, poscimus omnes,
Atque tuis precibus
nobis aperi pia coelos.

Responsoria.

1. Verberibus diris
sanctam Maxentius hostis
Immolat, illa suum
rogat inter verbera Jesum,
V. Gaudens haec pati
qui pertulit hostia mundi.
2. Visitat Augusta
Katharinam carcere clausam,
Illa velut rosa
splendebat luce superna;
V. Credidit Augusta
Christum docente Sybilla.
3. Christus sanctam tenebroso
reclusam ergastulo
Miro satis atque blando
confortat alloquio:
V. Salve virgo benedicta,
quam Christi praesentia.
4. De coelo geminas
fert angelus, ecce, coronas,
Unam reginae,
sanctae suae Katharinae,
V. Hancque coronat et hanc,
dotem fidei dat utrique.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Aeterno regi,
coelo terraque potenti,
Servans morte fidem
virgo conregnat eidem.
2. Atria Jerusalem
penetrans et luminis arcem
Haec jubilat sponso,
servit cui coelicus ordo.

3. Ad laudes vigilem
fontemque Deum sitientem
Christus suscepit,
cui virgo fidelis adhaesit.
4. Ignibus exstinctis
canit hymnum vox puerilis,
Sic nece consumpta
sponsi Katharina sub umbra.
5. Ordo puellarum
quam felix candidularum,
Cum quibus haec virgo
cantat nova cantica Christo.

Ad Benedictus.

A. Prudens et vigilans virgo,
Qualis es cum sponso illo,
Qui te elegit de mundo,
Quam pulchra, quam mirabilis,
Quanta luce spectabilis!
Inter Sion juvenculas
Et Hierusalem filias
Thalamo gaudes regio
Conjuncta Dei filio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, gemma claritatis
ad instar carbunculi,
Ave, rosa paradisi,
more flagrans balsami
Katharina, virgo felix,
gloriosa meritis
Assistentes tuis festis
coeli junge gaudiis.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85. — In 1. Vesp. R, 8 movet hoc. — In 1. Noct. A 6, 2 fanis liperare. — In 3. Noct. R 2, 2 carcere fehlt. — A 2, 6 doctrinae sabilla. — In Laud. A 1, 4 virgo cum regnat. — Ad Bened. A, 8 Thalamo ausgefallen.

## 38. De sancta Katharina.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virginis eximiae
Katharinae, martyris almae,
Festa celebrare
da nobis, rex pie, Christe.
2. Virgo sancta Katharina
Graeciae gemma,
Urbis Alexandrinae,
Costi regis erat filia.
3. Specie corporis decora
Nimis enituit,
Sed fide pulchrior
Sponso superno placuit.
4. Traditur ergo a patre
Doctoribus eximiis
Imbuenda
Liberalibus studiis.
5. Ait Deus per prophetam:
Perdam sapientiam
Sapientum et pervertam
Intellectum omnium.

Ad Magnificat.

A. Alma virgo Katharina,
Martyr prudens et regina,
Pro salute omnium
Preces funde salvatori,
Castitatis amatori,
Christo, sponso virginum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus,
Qui reginam Katharinam
Coronavit hodie.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix virgo Katherina,
Costi regis filia,
Regem Christum venerando
Praedilexit animo.

2. Erat enim pulchra valde
Inter omnes feminas,
Nunc cum sanctis gloriatur
Dei cernens faciem.

3. Dixit namque Katharina
Imperanti pessimo:
Dii tui non loquuntur
Nec discernunt aliqua.

Responsoria.

1. Nobilissima regina
Katharina genere,
Sed nobilior virtute,
Dei plena gratia,
V. Deum habens protectorem
Non tyrannos pertimescit,
Nec adversis frangitur.

2. Sancta virgo Katharina
Regis intrans atrium,
Crucis signum fronte premens
Dixit ad Maxentium:
V. Insensate, quid adoras
Deos surdos sine flatu
Et sic perdis animam?

3. Imperator ait illi:
Cujus es tu filia,
Aut quale est nomen tuum.
Rogo, nobis indica?
V. Et respondens benedicta:
Katharina vocor ego,
Costi regis filia.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dei nutu virgo pura
Superavit rhetores
Et credentes eos fecit
Orthodoxae fidei.

2. Signo crucis praemuniti
A beata virgine
Baptizati sunt in igne
Facti martyres Dei.

3. Et inventi sunt illaesi
Per divinam gratiam
Et ad coetus sunt perducti
Beatorum gloriam.

Responsoria.

1. Martyrium sitiens,
libamina Caesaris horrens,
Exclamat Christum,
praeter quem nil venerandum,
V. Daemoniis plena
sunt haec, ait, idola muta.

2. Ego vero desponsari
summo regi cupio,
Ut non tradam corpus meum
in gehennam pessimam,
V. Ipsum semper concupivi
Et optavi mihi sponsum
Creatorem omnium.

3. Fulgens virgo Katharina
Sancto plena spiritu,
Non timebat poenas latas
Sibi per carnifices,
V. Blandimentis non movetur,
Atque minis non terretur
Habens spem in Domino.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo gloriosa Katharina
Cilicio membra domabat,
Deum gemitibus exorabat.

2. Cum esset adhuc in annis
Virgo puerilibus,
Caris orbata parentibus
Mundi renuntiavit opibus.

3. Maxentius instat impius
Cum idolorum cultibus,
Puella voce libera
Haec sunt, clamat, daemonia,
Jesum Christum solum [Deum]
Praedicat os virgineum.

Responsoria.

1. Umbra carnis meae transit
atque pulchritudinis,
Unde nolo delectari
mundi hujus gaudiis;
V. Imperanti dixit virgo:
Deum verum crede mecum
Et salvabis animam.

2. Haec quinquagenos
oratores superatos
Dirigit ad coelos
aurum velut igne probatos,
V. Efficiens testes
fidei, quos pertulit hostes.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Rex potens Alexandrinae,
Qui Costus est vocatus,
Natam prudentem genuit,
Qua mundus est ornatus.
2. Opum plenum palatium
Parentes reliquerunt
Et Katharinam unicam
Haeredem dimiserunt.
3. Gubernat aulam regiam
Virtutum in decore
Suamque sapientiam
Demonstrat cum fervore.
4. Haec in aetate florida
Christum dilexit avida,
Cujus amore fervida
Mundi despexit fluida.
5. Sua reliquit moenia
Armata signo crucis,
Multa factura proelia
Cum inimicis lucis.

Ad Benedictus.

A. Salve, virgo Katharina,
Inter cunctas virgines
Quam ornavit lex divina,
Dum in carne viveres;
Nos defende a ruina
Necis infernalis
Et ad portum sis carina
Lucis aeternalis.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O gaudium, jucunditas
Cordis et animorum,
Cum Katharinae probitas
Et pulchritudo morum
Imperatorem superat
Et quosque sapientes,
Quid respondere valeant,
Omnino nescientes.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760. — In 1. Noct. R 1, 1 sq. Nobilissima Katharina, regina genere. — R 2, 3 in fronte. — R 3, 1 illi ergänzt. — R 3, 3 quod est. — In 2. Noct. R 3, 2 spiritu plena.

## 39. De sancta Katharina.

### In 1. Vesperis.

R. Jam Christi thalamum
scandit Katharina beatum,
Juncta suo sponso,
pro quo tulit aspera mundo;
V. Obtineat precibus,
pateat nobis paradisus.

Ad Magnificat.

A. O quam mirificis
Deus ordinat omnia factis,
Virginibus magnos
tribuens ex hoste triumphos,
Cum quibus aeternam
meruit Katharina coronam.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudetur Dominus,
Sabaoth cui nomen, et agnus,
Per quem sacrilegum
vicit Katharina tyrannum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In bello victus
Constantinoque fugatus
Alexandrinam
venit Maxentius urbem.

2. In qua daemonibus
libamina ferre paratur,
Ut veniant omnes,
cito mandat per regiones.

3. Adsunt gentiles
mixtim Christique fideles
Caesaris ad jussum
malesanum perficiendum.

Responsoria.

R 1. Nobilis et pulchra
prudens Katharina puella
Flagrat amore Dei,
spernit vaga gaudia mundi,
V. Cui rex carne pater
fuerat reginaque mater.

2. Martyrium sitiens,
libamina Caesaris horrens
Exclamat Christum,
praeter quem nil venerandum,
V. Daemonibus plena
sunt haec, ait, idola, templa.

3. Haec quinquagenos
oratores superatos
Dirigit ad coelos
aurum velut igne probatos,
V. Efficiens testes
fidei, quos pertulit hostes.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecce dies tristis
aderat plenusque doloris,
Quo Christi servos
jussit libare tyrannus.

2. Ecclesiae nati
moerentes et stupefacti
Auxilium Domini
poscunt super haec benedicti.

3. Fit sonus et clamor,
animalia muta trahuntur,
Vox diversa sonat,
urbs late tota resultat.

Responsoria.

1. O quam felices
per te, sanctissima, plures,
Quos jubet occidi
pro Christo turbidus hostis,
V. Cum duce Porphyrio
fit martyr Caesaris uxor.

2. Impius hanc Caesar
sisti jubet ante tribunal,
Hanc ut pervertat,
sicut draco vel leo certat,
V. Illa manet constans,
blanda nec aspera curans.

3. Virgo flagellatur,
crucianda fame religatur,
Carcere clausa manet,
lux coelica fusa refulget,
Fraglat odor, dulces
cantant coeli agmina laudes;
V. Sponsus amat sponsam,
salvator visitat illam.

Prosella.

Cantant coeli milites
collaudantes virginem;
Atque, ne deficiat,
roborantes martyrem.
Illa tuta
manens carnificem
Nec poenas ex-
horret nec Caesarem,
Sed laeta Domino
persolvit laudes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Processit virgo
Christo comitante patrono,
Adfuit et turba,
sapientum fronte superba.

2. Haec Christum Dominum
firmaverat esse sequendum,
Illi falsorum
contra simulacra deorum.

3. At Christi sponsa
Christi solamine fulta,
Vicit rhetoricos
vera ratione maeandros.

Responsoria.

1. Percussa gladio
dat lac pro sanguine collo,
Quam manus angelica
sepelivit vertice Sina,
V. Membris virgineis
olei fluit unda salubris.

2. Horrendo subdenda
rotarum machinamento,
Virgo Deum clamat,
de coelis angelus adstat,
Ecce repentinam
dant plebs rotaeque ruinam,
V. Tamquam Chaldaeis
quondam fornax Babylonis.

3. O mater nostra,
ter sancta quaterque beata,
Cum prece devota
famulantum suscipe vota,
V. Jam Christo juncta
sponsoque tuo sociata.

Prosella.

Aeternae
virgo memoriae,
Quam sibi
despondit rex gloriae,

Virginis
proles egregiae
Sponsusque
virginis ecclesiae.

Tu gaudes
hodie dono gratiae,
Cantas in
coelo carmen laetitiae.

Te laudantes
in terra respice
Atque nostra
clementer suscipe
Vota.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Postquam crudelis
invictam viderat hostis
Mentem virgineam,
velut amens fertur in iram.

2. Exacuit dentes
furibundus ut leo frendens
In sponsam regis
Christi sine fine manentis.

3. At Katharina Deum
servans in pectore fixum
Arguit insanum
manifesta voce tyrannum.

4. Post haec carnifici
mandatur voce tyranni,
Ut caput illius
gladio praecidat acuto.

5. Felix et digna nimis
es Katharina beata,
Quae per martyrium
sequeris dominum dominorum.

Ad Benedictus.

A. Inclita martyr, ave,
pro sanguine lacte fluente
Designas cunctis
nivei documenta pudoris,
Alta tenens coeli
pietatem posce superni
Judicis, ut nobis
det requiem miseris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Mons legis Sina
suscepit vertice dona
Corporis afflicti,
mons Christus culmine coeli
Suscipiens animam
ditavit honore beatam,
Cujus nos precibus
salvificet Dominus.

Brev. ms. S. Sepulchri Cadomensis saec. 14. in. Cod. Parisin. (Arsen.) 279. A. — Brev. ms. Vivariense anni 1342. Cod. S. Josephi Lugdunen. Ya 6. B. — Brev. ms. Vivariense saec. 15. Cod. S. Josephi Lugdunen. Ya 7. C. — Brev. ms. Cenomannense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV⁰ 14. D. —

Die letzten 3 Hss. haben in 1. Vesp. 5 **AA** super Ps., die teils prosaisch, teils anderen Officien entlehnt sind; R fehlt; ad Magn. **A**:

Prudens virgo Katharina,
Qualis es cum sponso tuo,
Qui te elegit de mundo,
Quam pulchra, quam mirabilis,
Quanta luce spectabilis!
Inter Sion juvenculas
Et Hierusalem filias
Thalamo gaudes regio
Conjuncta Dei filio.

In 1. Noct. A 3, 2 mixtum AD. — **RR** 1—3 prosaisch. BCD. — In 2. Noct. **R** 1 in BCD:

Angelus in terra descendens: virgo beata,
Ne timeas, inquit, Christus te non quoque linquet,
V. Confortans teneram Michael splendore puellam.

**R** 2 und 3 prosaisch BCD. — In 3. Noct. hat C allein folgende **A**:

Haec est sponsa, quae sic sponsum coelestem dilexit,
Quod terrenae dignitatis gloriam despexit
Et errores verbo vitae multorum correxit.

**R** 1 und 2 lauten in BCD übereinstimmend:

R 1. Manet constans et invicta virgo beatissima,
De tyranni blandimentis nulla sensit jacula,
Christum mundi salvatorem praedicat intrepida;
V. O felicem Christi sponsam, vero claram lumine,
Quae repleta dono Dei luce sapientiae.

R 2. Verberibus caesa martyr crudeliter alma
Carceris horrore concluditur interiore
Filia perpetua lucis . . . . . . . .
V. Redditor o patiens, justis solatia praebens,
Adspice de coelo.

Nach der Prosella der 3. Noct. bietet A mit der Rubrik: „Item Prosa" noch das Lied Sospitati dedit aegros (Anal. X, 224); BCD haben nur letztere Prosula. — In Laud. **A** 4, 2 mundantur A. — ad Bened. **A**, 1 mater ave D. — Hymnen: In Vesp.: Katharinae collaudemus; ad Noct.: Pange lingua gloriosae A, Ad festum sanctae virginis BCD; ad Laud.: Praesens dies expendatur A, Katharina mirabilis BCD.

## 40. De sancta Landrada.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Proles Landrada procerum
Regum Francorum exstitit,
Multis relinquens saeculum
Virginibus et praefuit.

2. Dei a juvenilibus
Annis impleta gratia,
Spem ponens in coelestibus
Manum misit ad fortia.

3. Haec jejuna pascit membra
Sicco pane, aqua pura,
Plus provocat esuriem
Edens quam exstinguit illam.

4. Humoque nudo jacuit,
Qua parum somnum recipit,
Carnem suam spiritui
Semper cogit se subjici.

5. Vilem se virgo reputans
Actus exercet humiles,
In lege Dei meditans
Noctes deducit et dies.

R. En rutilat praeclara
dies solemnis in orbe,
Qua coelos Landrada petit
carpens meritisque
Praemia digna suis,
fruitur visione creantis,
V. Angelicis turmis
virgo sociata beatis.

Ad Magnificat.

A. Beatae Landradae
votiva solemnia
Devote celebret
militans ecclesia,
Ut ipsius inter-
cedentibus meritis
Gaudiis perfrui
mereantur aeternis.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jubilemus dulcisonis
Carminibus altissimo,
Qui turmis junxit coelicis
Landradam suo merito.

### In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Sponsa Jesu Christi
nulli voluit copulari
Sponso mortali,
famulans sibi corde fideli,
Quem viribus totis
teneris dilexit ab annis;
V. Virgo studet sponso
pro posse placere pudico.
2. Nobilis haec genere,
sed nobilior probitate,
Sprevit amore Dei
bona terrae, culmina mundi,
V. Nobile justis hoc genus
actibus ipsa decorat.
3. Pura fide, patiens
quoque spe, fervens et amore,
Gratis ornata
moribus ipsa fuit,
V. Simplex, pacifica,
prudens, humilisque pudica.

### In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Omnis ab intus gloria virginis
exstitit hujus,
In Domini lege
meditatur nocte dieque,
V. In terris carne,
sed sursum mente resedit.
2. Jejunans, vigilans
teneram carnem macerabat,
Spiritui semper
et eam servire cogebat,
V. Haec aliis mitis
in se servatque rigorem.
3. Est pauper laeta,
constans et mente quieta,
Spectans mercedes
animae, carnis quoque dotes,
V. Pro Christo plures
suffert Landrada labores.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Benedicit Deum, laudat
Diebus atque noctibus,
Orat, jejunat, vigilat,
Suis laborat manibus.
2. In terris se reputans
Vilem, Deo cara,
Nunc in coelis habitans,
Fulget signis clara.
3. Ob laudem sacrae virginis
Novum carmen concinimus,
Ut secum frui gaudiis
Nobis donet coelestibus.

Responsoria.

1. Vilem se reputans
humiles exercuit actus,
Subvenit et miseris
sibi subtractis alimentis,

V. Laeta dat et ipsis
aeternae verba salutis.
2. Norma fuit cunctis
vitae sanctimonialis,
Diva columbinis
oculis videt ac aquilinis,
V. Ducens angelicam
mortali corpore vitam.
3. Protege, conserva
nos semper, virgo beata,
Quam celebrem vita
faciunt, mors, plurima signa,
V. Laudum carmina, quae
canimus nunc, sint tibi grata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beata virgo Landrada,
Cui regnum mundi viluit,
Non aurum, non monilia,
Sed Christum regem induit.
2. Deo servire studuit
Toto mentis ingenio,
Qui sibi solus placuit
Amatque corde fervido.
3. Semper ad Deum vigilat,
Cui toto corde jubilat,
Et per ipsius genitum
Vitam duxit angelicam.
4. Haec benedicit Dominum,
Qui pontum, tellus, aethera
Et quae in illis resident,
Sua creat potentia.
5. Corde, voce et opere
Regem laudavit coelicum
Ejusque vicit munere
Mundum, carnem, daemonium.

Ad Benedictus.

A. O vernalis flos, oliva,
Pietatis radix viva,
Inter spinas lilium,
Permanens in vera vite
Verus palmes, via vitae,
Suscipe fidelium
Pia vota, duc, tuere
Patriamque possidere
Da post hoc exsilium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnficat.

A. Virgo dulcis et benigna,
Laude et honore digna,
Tuis sanctis precibus
Cunctis purges a peccatis,
Nos fac Deo cum beatis
Perfrui spiritibus.

Brev. ms. S. Waldetrudis Monten. saec. 15. Cod. Duacen. 164.

## 41. De sancto Laudo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In laudem Christi
resonent praeconia Laudi
Cujus digna fuit
laude probata fides.

2. Hic teneris annis
apicem sortitus honoris
Moribus expressit
praesulis officium.

3. In subjectorum
clemens excessibus ultor
Virgam pastoris
flexit amore patris.

4. Multiplici clarus
meritorum dote sacerdos
Acceptas Domini
multiplicavit opes.

5. Majoris nomen
factis majoribus implens
In cunctis praesul
praesule dignus erat.

Ad Magnificat.

A. Voto, voce psallimus
In honorem praesulis,
Qui ad gradum praesulatus
Promoveri
Meruit divinitus,
Sua prece in nobis
Reseret cordis visum,
Qui caecatae mulieri
Reparavit oculum.

In 1. Nocturno.

Invitatorium.

Unum et verum Deum
adoremus,
In quo Laudus laudem
meruit sempiternam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dignus laude
Laudus egregia
Tamquam lignum
aquarum copia
Jugi vernans
viroris gratia
Fructum dedit
in patientia.

2. Jugo Christi subjugatus
Regi Christo vir beatus
Deservivit in timore,
Exsultavit cum tremore.

3. Christus, ejus
susceptor, gloria,
Hac puerum
praevenit gratia,
Ut grandaevus
in pueritia,
Praesul plebis
regeret milia.

Responsoria.

1. Ecce nobis lux illuxit
digna cultu celebri,
Qua, dum mortem triumphavit,
vitam Laudus subiit,
Coelos ornans velut sidus
fusis micans radiis,

V. Qui fidelis servitutis
exhibens instantiam
Duplicatam reportavit
Domino pecuniam.

2. O lux mundi, mundum replens
spiritali lumine
Quasi stella matutina
in medio nebulae,
Nos illustra luminoso
lumine justitiae,

V. Ut, quos longa circumfudit
vitium caligine,
Tua prece manifesta
Christum cernant facie.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vultus tui,
virtutum Domine,
Sanctum tuum
signasti lumine,
Vocabulo,
vita laudabilem,
Signis quoque
reddens mirabilem.

2. In aeternum exsultabit,
In quo Deus habitabit,
Ipse justo benedixit,
Quia justus hunc dilexit.

3. Dei Laudus
magnificentia,
Coronatus
honoris gloria,
Christi laudem
a pueritia
Plenus ejus
perfecit gratia.

Responsoria.

1. Gaude felix sub felici
praesule Constantia,
Honorata diuturna
illius praesentia,

Quem divina praesignarunt
praesulem oracula.
V. Vota plebis ut audivit,
rex assensum praebuit,
Concors clerus, plebs electum
consecrari petiit.

2. Post acceptum visionis
responsum angelicae
Consecratus a beato
Gildardo pontifice,
Pastorali duodennis
sublimatur apice.
V. Sumpta vero praesulatus
junior officia
Meritorum commendavit
multiplici gratia.

3. O vere spirituale
speculum ecclesiae,
In quo dona confluxerunt
multiformis gratiae,
Vas formatum in honorem
manu sapientiae,
V. Te tutore spiritalis
abscedat nequitia,
Te custode perseveret
meritum et gratia.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad usuram
dedit non propriam
Sed Domini
sui pecuniam,
Hinc ejusdem
in tabernacula
Ingressus est
vir sine macula.

2. In te, Deus,
Laudus laudabitur,
In te sperans
non commovebitur
Vitam enim,
quam a te petiit,
In aeternum
victurus subiit.

3. Sensu senex,
puer malitia,
Jam sortitus
locum in gloria
Deum videt
cordis munditia,
Quem quaesivit
in innocentia.

Responsoria.

1. Noctem luce fugativus
dum in nocte circuit,
Nocte pressa caecitatis
mulierem reperit,
Cujus prece mox suppressa
nocte lumen rediit.
V. Virginali puritate
vernans pueritia,
Efficaci floruit
sanitatum gratia.

2. Tutor gregis et provisor
spiritu prophetiae
Praecognovit inimicum
latentem in arbore,
Sub qua sui refecturo
parabant discumbere;
V. Hostis fraude patefacta
dum recedunt propere
Repentino cursu, cernunt
arborem concidere.

3. O lucris gaudens,
Domini, non propria quaerens,
Suscipe servorum,
pie praesul, vota tuorum,
V. O consors Christi,
quem mente pia coluisti.

Prosa.

Virtutis praesul
egregie,
Puer es praelatus
ecclesiae,
Hostis fraudem
nequitiae

Spiritu praevenis
prophetiae.
Damnata mulier
longa caligine
Resultat oculis
infuso lumine.
Oves pastor
clementer respice,
Vota, laudes
dignanter suscipe
Servorum tuorum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beate praesul Laude,
praesulum egregie,
Adsis nobis propugnator
hostilis nequitiae,
Locus in honorem tuum
consecratus, meritis
Tanti patris conservatus,
jugi pace gaudeat.

Brev. ms. Constantiense saec. 14. ex. Cod. Londinen. Add. 29 668. A. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (774) B. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 276. C. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV° 16. D. — Brev. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 21. E. — In 1. Vesp. **A** 5, 2 moribus implens B. — Ad Magn. **A**, 6 nobis. — In 1. Noct. **R** 1, 9 Reportavit duplicatum. B. — **R** 2 prosaisch: Consummatus in brevi etc. — In 2. Noct. **R** 1, 2 Domine virtutum. B. — In 3. Noct. **A** 1, 6 in fehlt B. — **A** 2, 2 Laudus fehlt B. — **A** 2, 6 expetiit B. — Prosa fehlt D. — Pr. 5 Hostilis E. — Pr. 7 pervenis E. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** fehlt BC. — Ibid 5 Ut ocus D.

## 42. De sancto Leobino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Quam gloriosus es confessor
Domini, Leobine,
Decus sanctorum praesulum,
Qui gregem tibi creditum
Direxisti ad Dominum,
Cujus in gaudium
Ideo pastor bone introisti,
Unde te poscimus,
Ut tuis meritis et precibus
Mereamur tuum collegium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum omnes pariter
Veneremur supplices,
Qui beatum hodie
Per confessionis meritum
Coronavit Leobinum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praeclaris patribus
fulsit sacer hic Leobinus,
Mundo progenitus,
coelo quandoque locandus.
2. Moribus eximiis
teneris rutilare sub annis
Coepit, in his docilis,
rapuit quibus arma salutis.
3. Rejiciens mundana petit
coelestia, sumini
Jussa boni complens
jamjamque monastice vivens.

Responsoria.

1. Sanctus praesul Leobinus
praeclaris parentibus
Oriundus in tellure
Pictavensi legitur,
V. Sociandus disponente
Deo coeli civibus.

2. Hic amore literarum
flagrans in primordio,
Has utcunque scriptas sumpsit
suo in cinctorio,
V. Castitatis ad exemplum
profuturus saeculo.

3. Jam supernis disciplinis
copiose praeditus,
Spreta mundi vanitate
monachus efficitur,
V. Summo regi militare
gliscens expeditius.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Urentem segetes
ignem frondesque domosque
Consopire Dei
famulus prece faecis ob acta.

2. Affer opem, Leobine pater,
lymphaticus inquit,
Mox et aquis vacuata cutis
distensa recedit.

3. Pontificis vestis
filo contacta puella
Daemone quo fuerat
pulso vexata levatur.

Responsoria.

1. Exorbata tempestate
populata omnia
Sancti viri circa cellam,
sata, frondes, olera,
V. Ope fretus summi boni
restauravit omnia.

2. Hujus curis agitatos
furore daemonico
Vir beatus sospitatem
propinavit illico
V. Invocata trinitate
crucis cum signaculo.

3. Descendente ab hac luce
praesule Aethereo
Leobinus infulatur
magno cum tripudio,
V. Quod cleri plebisque fuit
summa gratulatio.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quisquis anhelabat
cujusvis febris ab aestu,
Tectus palliolo
Leobini sanus abibat.

2. Infirmum sancto
Caletrium tinxit olivo
Et successorem
signis praenovit eundem.

3. Jam super astra poli
residens, Leobine sacerdos,
Posce Deum, nobis
concedat gaudia pacis.

Responsoria.

1. Ille quidem jam refulgens
lampas in candelabro,
Ut his rutilaret, qui sunt
in domo Dominica,
V. Jure caeco praebet lumen
primo in miraculo.

2. Cujusdam resuscitavit
Leobinus filiam,
Qui cum officiose
susceperat hospitem,
V. Prole sibi restituta
gaudet multifariam.

3. Cumque membra sancti viri
conderentur tumulo
Rupto fune, quo pendebat,
crux in monasterio
Cum lampadibus ad terram
ruit plenis oleo;
V. Sed resurgens haesit funi
admirante populo,
Quod nec vitri ne liquoris
fuit mutilatio.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Attollamus mirificum
Quod patravit miraculum
Praesul jam curvus senio
Morboque tentus valido.

2. Erant duo pueruli,
Acti furore daemonis,
Qui ad sanctum convenerant
Sospitatis ob gratiam.

3. Quibus, ut erat hilaris
Dator extemplo proprii,
Quae post esum remanserant,
Partem dedit edulii.

4. Quo ab ipsis antidoto
Mox exploso daemonio
Coeli laudantes Dominum
Ad propria regressi sunt.

5. Dignetur ergo laudibus
Universalis dominus,
Qui sic sua clementia
Sanctos suos mirificat.

Ad Benedictus.

A. O virum ineffabilem,
Per omnia laudabilem,
Per quam tanta insignia
Miraculorum rutilant;
Is ut nos coeli civibus
Suis adjungat precibus,
Proni rogamus, supplicet
Regem, qui cuncta possidet.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vir Dei Leobinus,
Tot insignis virtutibus,
Talentum sibi creditum
Gliscens reddere duplicatum,
In gaudium Domini sui
Ut fidelis servus meruit
Intrare securus.

Brev. ms. Carnotense saec. 14. Cod. Carnoten. 583. A. — Brev. ms. Carnotense saec. 14. Cod. Carnoten. 513. B. — Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 14. Cod. Carnoten. 564. C. — Brev. ms. S. Cerauni saec. 15. Cod. Carnoten. 564. D. — Brev. ms. S. Mariae de Josaphat saec. 15. Cod. Carnoten. 560. E. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Carnoten. 563. F. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisin. 1053. C. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisin. 1256. H. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisin. 13 240. I. — Brev. ms. Romano-Franciscan. anni 1412 (in Privatbesitz). K. — In 2. Noct. A, 3 Consopite GK. Cum sopire H. — In 3. Noct. R 3, 6 plenus GH. — Ich vermute als Verfasser dieses Officiums Fulbert von Chartres.

## 43. De sancto Leodegario.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Martyris adscripto
celebremus tempore festum,
Quo Leodegarius
victricem sanguine palmam
Promeruit cunctis
glomeratus in ordine sanctis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Concentus Domino,
famuli, celebrate sonoros,
Quo Leodegarius
gaudet sociatus in aevum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praeclarum sidus seculo
Leodegarius Domino
Celso Francorum genere
Surgit ab ipso lumine,
Prima vitae ducamina
Regalis alit curia.

2. Hujus indoles inclita,
Superno jubare fulta,
Dum tendit ad sublimia,
Regis jussu pontifici
Didoni, inquam, avunculo
Apicum characteribus
Imbuendus addicitur.

3. Divino instructus munere
Ac roboratus pectore
Aucta fulgent praesagia
Monitis praesulis compta,
Caelibem vitam didicit,
Ut integer in utroque
Sancto paretur ordini.

Responsoria.

1. Martyris adscripto
celebremus tempore festum,
Quo Leodegarius
victricem sanguine palmam
Promeruit cunctis
glomeratus in ordine sanctis,
V. Quo laetus Domino
citharizat munera laudis.
2. Hic ortus jam primordia
Francorum ex prosapia
Nobili duxit linea,
Prima vitae ducamina
Regali fovet domate,
V. A parentibus curiae
Nutriendus addicitur
Teneris puer in annis.
3. Fultus superna gratia
Indole atque praeclara,
Dum tendit ad sublimia,
Regis jussu Pictavensis
Ad studia literarum
Praesul applicat puerum,
V. Ut doctus sapientia
Suffultusque disciplina
Probitate affluat plena.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum in eo perlucida
Perpatescant insignia,
Memoriae tenacitas,
Eloquentiae puritas,
Assueta tellus imbribus
Sulcos fecundat frugibus.
2. Divina mox auctoritas
Ac plebis universitas
Ad eligendum prodiit,
Quem sacer ordo deposcit,
Ut urbs Aedua capiat
Leodegarium in cathedra.
3. Honoris apice functus
Denis annorum cursibus,
Sors invida jam nubilos
Regis incendit aminos,
Insaniat in praesulem,
Ni loco cedat patiens.

Responsoria.

1. Divino instructus munere
Ac roboratus pectore,
Futurorum praesagia
Rutilant in praecordiis,
Monitis comptam praesulis
Coelibem dum servat vitam
Ordini sacro condignam.
V. Eloquio suavissimus
Moerentibus laetitiam,
Sceleratis disciplinam
Norat reddere congruam.
2. Dum castitatis speculo
Virtutumque praeconio
Redolet in palatio,
Dignis attollunt laudibus,
Ut urbs Aedua capiat
Leodegarium in cathedra;
V. Cujus memoria tenax,
Eloquentiae puritas,
In viro manet castitas.
3. Honoris apice functus
Denis annorum cursibus
Sors invida jam nubilos
Regis incendit animos,
Insaniat in praesulem,
Ni loco cedat patiens.
V. Praesul captat consilium,
Ut relictis mundi pompis
Sequeretur vocem Christi.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tandem a rege voti compos
Habenis ruptis omnibus

Nudus evasit saeculo
Tectusque Christi chlamyde
Luxovii Coenobio
Regitur Deo principe.

2. Quidam versutus callide,
Ebroinus cognomine,
Ignem spirabat animo
Versans dolos in pectore,
Captet ceu lupus vitulum,
Quem mactaret innoxium.

3. Cum, ecce, manus valida
Urbis infestat moenia,
Crebris urget assultibus,
Imbellem septis extrahat
Praedam, quam ore sorbeat.

Responsoria.

1. Regis permissu pontifex
Habenis ruptis omnibus
Nudus evasit saeculo
Tectusque Christi chlamyde
Luxovii coenobio
Regitur Deo principe;

V. Fratrum catervae socius,
Abbati pie subditus
Votum complet operibus.

2. Nutu Dei dum pontifex
Ad urbem redit alacer,
Laeta plebs mox cum laudibus
Locis occurrit omnibus,
Gaudet pastore reduce,
Dum revocat ab exsule,

V. Voce, corde jubiloque
Hymnis, psalmis intonabant,
Ovantes dum properarent.

3. Quidam ferox Ebroinus,
Vulpinis callens fraudibus,
Sanctum Dei velut mitem
Lupus aggressus vitulum,
Dolos captat, ut rapiat
Captumque mox dilaniet.

V. Validam carnifex manum
Cogens dirigit militum,
A septis urbis extrahat
Praedam, quam ore sorbeat.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martyris eximii dum
Lumine splendido locum
Celsa lustrat divinitas
Excubias dans noxturnas,
Rumore cunctos celebri
Ad locum duxit tumuli.

2. Emicat inde protinus
Claris locus insignibus,
Manat salus languentibus,
Quotquot gravabat intimis
Furens dolor in ossibus.

3. Sacrum corpus transferendum
Ansoaldo sorte datum,
Alio dum portaretur,
A populo constipatur,
Confert medelam languidis
Fide contactis loculis.

4. In curvo quidem corpore,
Adducto genu vertice,
Mulier tabe consumpta
Per tot annorum tempora,
Sancti adorans feretrum
Statum recepit pristinum.

5. Dantur laudes in excelsis,
Merita canunt martyris,
Hymnos votis accumulant,
Ad locum sibi debitum
Cum gressibus accelerant,
Uti decet, perveniant.

Ad Benedictus.

A. Igitur praesulis jussu
Magno locata ambitu
Coelestis aulae fabrica
Arte fulget mirifica;
Praebet sanctum mausoleum
Populis patrocinium,
Cujus nobis juvamina
Subveniant in saecula.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Inclite martyr, ave,
praesulque sacerrime, salve,
O Leodegari,
bino charismate felix,
Ora pro nobis
peccati mole gravatis
Excusaque prece,
culpat quos actio vitae.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85. A. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 354 (787). B. — Brev. ms. Monialium O. S. Benedicti saec. 15. Cod. Eremiten. 84. C. — Antiph. ms. Beronense saec. 16. in. Cod. Eremiten. 729. D. — Offic. ms. S. Leodegarii saec. 16. Codicillus Capit. Sedunen. 72—42. E. — AC bieten das Officium ordine monastico; B ist eine von Schreibfehlern wimmelnde Handschrift, deren lapsus calami sämtlich zu verzeichnen, überflüssig ist. — E hat in 1. Vesp. 5 **AA**, die später ad Noct. wiederkehren. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 1 Martyris altptio! B. — Ibid. 3. Der Name Leodegarius (Leudegarius) immer fünfsilbig. — Ibid. 5 Pro me cunctis B. — Invit. 2 sonoris E. — In 1. Noct. **A** 2, 4 pontificis A. — **A** 3, 3 Alta fulgent B, Vita fulgent **A**; prosapia E. — **A** 3, 4 praesuli B. — **A** 3, 5 didicit vitam B. — **A** 3, 7 pareret B. — **R** 1, 1 *astriptio!* B. — **R** 2, 2 *duxit* fehlt B. — **R** 2, 4 *ducamina vitae* AE. — **R** 2, 5 dogmate ABE. — **R** 2, 7 Emitendus adducitur B. — **R** 3, 2 Indolis E. — In 2. Noct. **A** 1, 2 Perpatescunt B. — **A** 1, 5 Assuetas A. — **A** 3, 2 sqq. fehlen E. — **A** 3, 3 jubilos A. — **A** 3, 5 Insaniam A. — **A** 3, 6 sedat B. — **R** 1, 4 rutilans B. — **R** 1, 5 comptur B; compta E. — **R** 1, 7 Ordini sanctorum B. — **R** 2, 8 Eloquentia A. — **R** 2, 9 In clero manet caritas E. — **A** 3, 2 sqq. fehlen E. — In 3. Noct. **A** 1. 5 Luxovii fehlt B; Luxuvii A. — **A** 2, 3 adspirat B. — **A** 2, 5 ceu fehlt B. — **A** 2, 6 innoxium fehlt B. — — **A** 3 fehlt A. — **R** 1, 6 Traditur Deo B. — **R** 2 und 3 fehlen E; diese Hs. hat in dieser Nokturn nur 2 **RR**, von denen das zweite lautet:

R. O benigna Dei semper immensaque caritas,
Quae beati fidem viri auxit Leodegarii,
Ut certamine probatus palmam victor caperet
Et castris martyrum admixtus coronam perciperet;
V. Lacrimarum cujus rivos manus tersit Domini,
Et de labore requiem mercari promeruit.

Dieses **R** bildet in A das vierte der dritten Nocturn. — In Laud. **A** 1, 1 eximii diem A. — **A** 1, 3 deitas B. — **A** 1, 5 celebris A. — **A** 2, 4 Quosquos A; quoquos BE. — **A** 2, 5 Fundes dolor B. — **A** 3, 2 Pontifici sorte BE. — **A** 3, 6 contacti loculi B; contactus loculi E. — **A** 4, 1 quidam BE. — **A** 5, 1 Dantur ergo B. — Ad Bened. **A**, 2 Magna locata A. — Ibid. 3 fabricata B. — Ibid. 4 Arce fulget E. — In 2. Vesp. ad Magn. A. 4 crismate A. — Ibid. 8 accusat quos B. — Die ganze **A** ist prosaisch E.

Nachdem dem vorstehenden Texte die kürzere Recension zu Grunde gelegt, bleiben uns jene poetischen Teile nachzutragen, welche die monastische Form mehr aufweist. Ob diese die ursprüngliche ist, bleibt in etwa zweifelhaft, da sie drei prosaische Antiphonen und ein prosaisches Responsorium einschieben mufs und die historische Reihenfolge der **AA** und **RR** nicht gewahrt erscheint. Die Anordnung desselben ist folgende: In 1. Noct. **A** 1: Praeclarum sidus saeculo. **A** 2: Hujus indolis inclita. A 3: Divino instructus munere. **A** 4: Cum in eo perlucida. **A** 5: Divina mox auctoritas. **A** 6: Honoris apice functus. **R** 1: Martyris adscripto.

R 2: Jussu tyranni dirupta
Ductus per Pisanae vada
Athleta Christi spinosos
Petrarum dum calcat [globos],
Nudatos gressus conterit
Et vix extractus corruit;

V. Complent jussa carnifices,
Palatum lingua spoliant
Et praecidentes labia
Martyrem Christo consecrant.

R 3: Hic ortus jam primordia. R 4: Divino instructus munere. In 2. Noct. A 1: Tandem a rege voti compos. A 2 prosaisch, ebenso A 4. Die drei andern AA lauten:

A 3. Jam dura permulta passi
Coelo delapsa capiti
Candens corona micuit,
Quae multos visa terruit
Hostesque mox exacuit,
Sancti cervicem desecant
Et caput ejus amputant.

A. 5. Advertit hic piissimus
Dictus Leodegarius,
Ne grex pro se depereat,
Quem, o Christe, redimeras,
Ultro se ingerit hostibus
Sine culpa puniendus.

A 6. Quo mox capto desaeviunt
Ac oculos effodiunt,
Privatis jam luminibus
Stultis insultant lusibus
Nec plane cernunt intima.
Qua Christus daret, lumina.

R 1: Honoris apice functus. R 2: Regis permissu pontifex. R 3: Nutu Dei dum pontifex. R 4 prosaisch. In 3. Noct. ad Cant. A prosaisch. R 1: Quidam ferox Ebroinus.

R 2. Pastor plebis eximius,
Caris consulens civibus,
Lupis ultro rapacibus
Ire maturat obvius,
Cedens hostibus victima
Jugulis jam promptissima,
Sola libertas populi
Voce mactatur Domini.
V. Qui mox caecatus oculis
Plus gaudebat in intimis,
Quae superna clarificat
Lux, ut congaudens sitiat.

R 3: Dum castitatis speculo. R 4: O benigna Dei semper. — Laudes und 2. Vesper wie in den nichtmonastischen Quellen.

## 44. De sancto Leonhardo.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laetetur Sion inclita
Pro electorum gloria,
Inter quos gaudet gratia
Leonhardus deifica,
Qui nobis adsit precibus
Ejus festa colentibus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laus regi summo,
superus cui militat ordo,
Quo signis sanctus
mundo rutilat Leonardus.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus iste legi Dei
Insistendo floruit,
Vitae fructus instar ligni
Salutaris protulit.

2. Sanctitatis in timore
Servivit altissimo,
Cujus monte cum sanctorum
gaudet nunc collegio.

3. Vana sprevit corde puro
ambiens coelestia,
Templum Dei salutare
factus atque hostia.

4. Gloriose coronatur
tuus, Christe, vernula,
Quia tibi voluntate
adhaesit mundissima.

5. Ore, mente benedixit,
Christe, tuo nomini,
Qui ubique populorum
haberis mirabilis.

6. Aequitatem amplectendo
[et viam] justitiae
Ad coelorum tendens regna
migravit feliciter.

Responsoria.

1. Gentis Francigenae
Chlodovaeo sceptra tenente
Ecclesiae nardus
felix satus est Leonardus,
V. Ut nova lux mundo
procedens stemmate claro.

2. Hunc rex de sacri
susceptum fonte lavacri
Patri Remigio
commendavit venerando,
V. Ut pia magnifici
sequeretur dicta magistri.

3. Regibus haerentum
vitavit morem parentum,
Uti militia
pro Christi philosophia,
V. Terrea contempsit,
solis coelestibus haesit.

4. Libertate data
vinctis patris prece sacra
Claustris exibant,
ad propria quique redibant;
V. Os justi pietas,
quam laudat sexus et aetas.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dolo caret sancti vita
veritate lucida,
Unde Sion montis nactus
est nunc tabernacula.

2. Cordis ei voluntatem
tribuisti, Domine,
Coronando eum digne
corona laetitiae.

3. Innocentum iter sequens
animi munditia
Jacob scala Hierusalem
novae scandis moenia.

4. Sequestratus a malignis
dignis vitae moribus
Eidem conregnat coelo,
cujus haesit laudibus.

5. Supernorum jucundatur
concentu hymnidico,
Quem in terris promerendo
suspirabat animo.

6. Arbor cedrus ut odora
flagrabat virtutibus,
Nocte, die insistendo
divinis operibus.

Responsoria.

1. Tempore transacto
prolem paritura virago
Nutabat dubiis
vitae [regina] periclis,
V. Quam sancti precibus
curavit coelica virtus.

2. Qui quadro totum
perlustrat flumine mundum,
Per sancti meritis puteum
replet illico lymphis;
V. O Christi virtus,
qua justi sic decorantur.

3. Ut lucifer radiis
micat hic pater undique signis,
Lumina dans caecis,
virtutem coelitus aegris,
V. Erigit et claudos
ac solvit carcere clausos.

4. O Leonharde pater,
pietatis et ubere mater,
Impetra nobis
sacra prece gaudia lucis,
V. Qua rutilas felix,
cum Christo deliciaris.

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Dulcia cum sanctis
citharizans cantica laudis
Nostras, sancte pater,
de coelis suscipe laudes.

Responsoria.

1. Solis justitiae
matris sub honore Mariae
Construxit sacrum
mediocri schemate templum,
V. In quo magnificae
complevit tempora vitae.

2. Nobilium alacres
athletae facta sequentes
Christi militia
geminam subiere palaestram,
V. Spiritus atque caro
quo possent vivere coelo.

3. Sancte Leonarde,
Christi confessor,
Audi rogantes servulos
Et impetratam coelitus
Tu defer indulgentiam.
V. O sancte Leonarde,
sidus aureum,
Domini gratia
servorum gemitus
solita suscipe clementia.

4. Carceris o fractor,
captivorumque solutor
Mellifluis precibus
nostros dissolve reatus,
V. Qui nostros audis,
tribuendo dona salutis.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudemus Dominum,
qui tractat singula rerum,
Sede sedet sanctus
diva cum quo Leonardus.

2. Intrans Jerusalem
Sion exsultantis in arcem
Ardet in adspectu
Domini Cherubim residentis.

3. Sese mactantem
fontemque Deum sitientem
Gloria suscepit,
pro qua mortalia sprevit.

4. Cui mare, terra, polus
servit, tremit ac veneratur,
Declarat sanctum
per signa pie Leonardum.

5. Inter concives
patriae coelestis ovantes
Pura mente pius
laudat Dominum Leonardus.

Ad Benedictus.

A. Copiosae pietatis
Leonarde inclite,
Tuis festis assistentes
nunc de coelo respice,
Lucem nobis impetrando
apud regem gloriae,
Ipsum coeli in decore
quo possimus cernere.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater Leonarde,
opifex celer non tarde,
qui signa das, celeberrime,
brachiis divinae potentiae,
plebis attritae baccas
disrumpe assisteque
huic familiae tua
precanti salvari ope.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85. — In 1. Noct. A 1, 1 legis. — A 4, 2 cujus Christe vernalia. — A 6, 1 Equitem. — A 6, 2 et viam ergänzt. — R 3, 1 eremptum. — In 2. Noct. A 2, 1 Cordis ejus. — A 2, 2 tribuisti ei. — A 4, 3 cum regnat. — R 1, 4 vita; regina ergänzt. — Hymnus ad Laudes: Deo demus grates.

## 45. De sancto Leontio.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude vetusta civitas
Novum agens tripudium,
2. Adest nova festivitas,
Exsulta, Forojulium.
3. Vide, quanta sit dignitas,
Quae decorat Leontium,
4. Ut tanti patris sanctitas
Sit natis in auxilium,
5. Et post decursas semitas
Tibi mercetur praemium.

Ad Magnificat.

A. Magnificat hunc praesulem
Multiplicatis meritis,
Cum magnum fecit humilem,
Deus gratis exhibitis
Donis, quibus perutilem
Fecit eum neophytis,
Nec primus habet similem
In bonis sibi deditis.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus in saecula
Christum regem in milite,
Qui coeli confert pocula,
Hymnum novum concinite.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Per te currit ad gratiam,
Christe, martyr Leontius,
Cujus legis justitiam
Amplectitur devotius.
2. Auditor verbi sedulus
Sic Christi fit discipulus,
Incredulis fit stimulus,
Credentibus agniculus.
3. Verbum Dei dum praedicat,
Fructiferat et germinat
Ager et agri cultor.

Responsoria.

1. De sentibus flos oritur
In vere natus gratiae,
Leontius dum oritur
De gente diffidentiae,
V. Eripitur et alitur
Praesul martyr futurus.
2. Crebescente saevitia
Paganorum in Christum,
Expulsus de Provincia,
Fit insultus in istum
Sic in membris caput expellitur.
V. Partes dimittit proprias
Ingressus alienas
Ut Christum lucrifaciat.
3. Jam sparso verbi semine
Per partes Forojulicas
Sub caritatis tegmine
Terras petit Germanicas,
Per fraudes diabolicas
Deceptis fit medela;
V. Morbidis fit curatio,
Mortuis suscitatio,
Cunctis via salutis.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mare transit navigio
Deo sibi propitio
Nec trepidat in undis.
2. Adit partes Provinciae
Divinae sator gratiae,
Lucerna sanctitatis.
3. Fit virtutis spectaculum
Et veritatis speculum
Omnibus in salutem.

Responsoria.

1. Christi miles dum militat,
In spiritum nequitiae
Certando nihil trepidat,
Armis doctus militiae
Gentem vincens profanam,

V. Ad gentem missus perfidam
Christum docet
Et legem Christianam.

2. Felix cella vinaria,
De qua vinum doctrinae
Stillat et pigmentaria
Coelestis medicinae
Tam secretaria,
V. Coeleste triticum
Coeli reconsum horreo,
Dogma catholicum
Doctorum fulget cuneo.

3. Dum doctrina Christi fidem
roborare nititur,
Ab iniquis doctor bonus
invasus occiditur,
Sic pugil currit ad vitam,
dum pro fide moritur;
V. Constans offert corpus morti
pro fide, quam docuit.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Doctor clarus sed vita clarior,
Auro multo fit pretiosior
Stola duplata.

2. Exemplum fuit subditis
Retractus ab illicitis
Praesul et forma gregis.

3. Pro grege pastor moritur,
Cujus morte defenditur
Grex a morte secunda.

Responsoria.

1. Latet granum
opressum palea,
Justus caesus
pravorum framea,
Coelum domo
commutans lutea,
V. Cadit custos
vitis in vinea,
Dux in castris,
cultor in area.

2. Nunc fulges stola trina
Velox cursor,
Qui percepisti bravium,
Tu stella matutina,
Tu rosae flos rubeus,
Tu vernans lilium;
V. Ad adjuvandum nos festina,
Te quaesumus,
Sis nobis in auxilium.

3. O triumphus ecclesiae,
Dignus laudis praeconio,
Protectus armis gratiae
Palmam refert de proelio,
Dum decertans in acie
Claro fulget martyrio.
V. O virtuosa deitas,
O pelagus clementiae,
Quo confertur strenuitas
Christianae militiae.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes decantet martyri
Devota plebs fidelium,
Fermento pulso veteri
Sit nobis in auxilium
Et clipeum salutis.

2. Salutis vera semita,
Per te nobis ostensa,
Sit veritate cognita
Coelotenus protensa,
Quo pergamus alacriter.

3. Alacriter nunc canimus
Laudantes Salvatorem,
Per quem salvari petimus
Ut per vitae datorem
Et sanctorum suffragio.

4. Suffragio Leontii
Nobis vitam concede,
Cursum hujus exsilii
Lustrans de tua sede,
Tu lux beata trinitas.

5. Beata trinitas,
Tu summa laude digna,
Tu claritas, du bonitas,
Tu dulcis et benigna,
Tu palma triumphantium.

Ad Benedictus.

A. Almi patris
clara solemnia
Cum laudibus agamus
Quem provectum
jam ad coelestia
Supplices exoramus
Ut acceptet
nostra suspiria,
Qui devote clamamus,
Obtenta nobis gratia,
Propter quam suspiramus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Praesul et martyr inclite,
Fer opem supplicantibus,
Nos pio vultu respice
Tuis nos juvans precibus,
Hinc nos migrantes suscipe
Paternis ferens manibus,
Civitatis angelicae
Consignans nos agminibus.

Brev. Forojuliense imp. Taurini 1495. — In 2. Noct. R 1, 7 scheint lückenhaft. — In 3. Noct. R 1 Entlehnung aus dem Officium des Thomas Becket. — In Laud. A 3, 4 per te vitae. — A 5, 1 lies Tu lux beata trinitas? — Hymnen: in Vesp.: Exsulta Forojulium; ad Laud.: Christo regi pro milite.

## 46. De s. Ludovico Episcopo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O felix prosapia Francorum,
Quae germina pullulat sanctorum,
In te Ludovicus rex,
Ex te Ludovicus pontifex
Illustri praeconio
Coruscavit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, qui saecli regnum renuit,
Sit votiva mentis confessio,
Pro cujus voto vere viluit
Ludovico regni possessio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir in potentatibus
Exortus excellenter
Nostris mendicitatibus
Dejecit se libenter.
2. Praeventus Christi gratia
Profectu virtuali
Crevit in innocentia
Servatus baptismali.
3. Venustas innocentiae
Renatum non deseruit,
Qui coronam justitiae
Jugi profectu meruit.

Responsoria.

1. Ludovicus, vir inclitus
Origine regali,
Lucem dedit divinitus
In hac vita mortali,
Tamquam praeventus coelitus
Dono spirituali.
V. Fervebat ejus spiritus,
Fructum ferre sollicitus
Ex flore virginali.
2. Diutinae custodiae
Septennio probatus
Simulque sapientiae
Donis est illustratus,
Laetabatur justitiae
Coronam sic lucratus;

V. Thesauros innocentiae
Replebat novae gratiae
Muneribus ditatus.
3. Doctrinae fructu fertilis
Processit ab ergastulis
Crucis praeco mirabilis,
Factus Francisco similis,
V. Nunc gaudet in aetherea
Domo divinae sobolis,
Corona fulgens aurea,
Decorus et aureolis.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vocem decus angelicum
Praevenit doctrinalem,
Sic culmen evangelicum,
Gradum pontificalem.
2. Francisci junctus cuneo,
Beatus pauper spiritu,
Currens amore flammeo
Brevi profecit transitu.
3. In brevi consummatus
Explevit multa tempora,
Qui manens Deo gratus
Complevit magna merita.

Responsoria.

1. Libertati redditus,
Ne serviret malis,
Sibi clausit aditus
Curae mundialis,
Quamvis nollet primitus
Pater hoc carnalis;
V. Regis primogenitus
Rex contempsit penitus
Esse temporalis.
2. Vitam vix obtinuit
Evangelicorum,
Per quos doctus claruit
Claritate morum,
Fratrum formam tenuit
Ordinis Minorum,
V. Paupertate viguit,
Qua rex esse meruit
In regno coelorum.
3. Disciplina utilis
Omni piae menti,
Praesul fructu fertilis
Tholosanae genti,
Missus fuit nobilis
Jussu perurgenti,
V. Ad profectus habilis
Vir mitis et humilis
Paruit jubenti.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dei tabernaculum
Stabilis intravit,
Qui justus obstaculum
Maculae vitavit.
2. Revelata facie
Illum modo contemplatur,
Cujus clara visio
Solis corde mundis datur.
3. De torrente voluptatis
Mens sancta reficitur,
Dum visae divinitatis
Ubertate fruitur.

Responsoria.

1. Diffuso jam lumine
Fulgebat in culmine
Posita lucerna,
Fuit cum dulcedine,
Plena rectitudine
Bonitas interna,
Nullo cadens crimine
Vicit in certamine
Gratia superna,
V. In divino numine
Successit hoc ordine
Requies aeterna.
2. Felix hortus paupertatis,
Qui regalis majestatis
Fecundaris germine,
Dum de celso culmine
Virum tantae dignitatis
Per exempla sanctitatis
Suo clausit ordine;

V. Vocatus de caligine
Ad excelsa deitatis,
Haustu purae veritatis
Lumen cernit in lumine.

3. Regis summi potentia
De stirpe dedit regia
Beatum Ludovicum,
Qui sumens vitae tramitem
Habet magistrum militem
Sanctitatis amicum;
V. Sanctum fore, praeludia
Monstrant, dum tenet limitem
Humilem et pudicum.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Quasi stella matutina
Ludovicus claruit,
Cujus vitae disciplina
Huic mundo splenduit.

2. In aurora suae vitae
Sanctitatem praetendebat,
Qui aetatem primitivam
Bonitate transcendebat.

3. In aetate media
Duce divina gratia
Virginis pudicitia
Coruscavit.

4. In vitae vespere
Plenus divino munere
Requievit.

5. Stella maris hunc servavit,
Cujus callem subsecutus
Incorrupte terminavit.

Ad Benedictus.

A. Dum leproso ministrabat
Subito disparuit,
Et sic Christus ostendebat,
Cui se exhibuit.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O proles Ungariae,
Decus aquilonis,
Ludovice sacer,
Tuis praeclaris donis
Sub coelesti hierarchia
Mirifice illustratur.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 6 lies: Mirifice illustraris?

## 47. De sancto Majolo.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Majole, potens
Christi confessor et abbas,
Qui natale tuum
gaudent celebrare quotannis,
Te duce perpetuae
capiant bona gaudia vitae.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Alleluja, veram
In Majolo vitam
Laudemus et Christum,
Venite, adoremus.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir vitae venerabilis
Fuit Deo amabilis,
Majolus, magno Christi
Salvatoris munere.

2. Hic Arvernicis honeste
educatus oppidis
Tum pietate tum genere
nobili clarescebat.

3. Qui verae vitis palmitem
Ut se probaret fertilem,
Nullo sterilis tempore
Fructum tulit uberrime.

Responsoria.

1. Vir sanctissimus Majolus,
Nostro [florescens] tempore,
Praeclarus fuit genere,
Praeclarior sed opere,
V. Decorus exstitit fide
Et caritatis munere.

2. Actibus iste piis
teneris intentus ab annis,
Vir fuit eximiae
sanctaeque per omnia vitae,
V. Nocte dieque jugis
divino servitio instat.

3. Sancta sequi satagit
Majolus munera Christi,
Terrea spernendo,
coelestia sola probando,
V. Levitaeque decus
dignum tulit ordine laetus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Majole, admirabile
Nomen tuum dignoscitur,
Nam contra quodvis flebile
Malum, quod homo patitur,
Per te confestim utile
Remedium tribuitur.

2. Majolus nunquam recessit
A verae vitis corpore,
Fructum ut ferret plurimum
Perpetuo Deo gratum.

3. Nam ab ipsis cunabulis
Se Majolus a fabulis
Subtraxit et a lusibus
Gestisque puerilibus.

Responsoria.

1. Antonii accitus
docti nunc laude magistri,
Lugdunum properat,
divina ut pabula gustet;
V. Tantus amor studii
Majolum pressius urget.

2. Hic haerere Deo
propius dum nititur almus
Christi discipulus,
monachi vestem induit atram,
V. Munditiam summo
coluit vir sanctus amore.

3. Aetherei cum clavigeri
graderetur ad urbem,
Condoluit, socium graviter
dum conspicit aegrum,
V. Tangendo infirmum
corpus sacro unguine sanat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Relictis hic famulis
Et genitorum praediis
Majolus Christi munere
Partes adiit Burgundiae.

2. Majole, dum tuas psallimus
Virtutes et miracula,
Per te nostrarum, poscimus,
Culparum solvi vincula.

3. Solemnem celebrare diem
studeamus devote,
In qua pater Majolus
in coelis est natus
Ejusque meritis socii
Esse perennis possimus
Regni pariterque
Secum jugi vita frui.

Responsoria.

1. Culmina virtutum
dum cernit scandere sanctum
Majolum, abbas tunc
Heimardus lumine cassus,
V. Cedo tibi, dixit,
nunc fratrum suscipe curam.

2. Cumque manus Majolus
aquam fundente ministro
Ablueret stillam
rapuit quidam incola laetus,
V. Qua tactos nati
caecos curavit ocellos.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Confessor Domini
cum se jam carne resolvi
Praesciret, fratres
monuit de morte propinqua.

2. Mox tristes fratrum
mentes dolor occupat ingens,
Curque tuum, exclamant,
bone pastor linquis ovile?

3. Verbis hisce suos
lacrimans affatur amicos:
Jesus pastor vester,
oves qui sanguine pascit.

4. Viscera vos mea commoneo
sermone paterno,
Vincula ne pacis
vestrae sors ulla resolvat.

5. Tunc benedixit eos
coelestia dona precando,
In coelo visum
defixsum semper habendo.

Ad Benedictus.

A. Laudent cuncta Deum
verum, mage grex monachorum,
Nam tulit in coelum
Majolum veraque vitis,
Palmitibus sanctis
sua ibi jam dona coaequat
Cujus consortes
jubeat nos esse perennes.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Jam festiva dies
omnem celebranda per orbem
Fulget, qua Dominus
Majolum traxit ab imis,
Adnectens superis,
placeat succurrere nobis
Atque ejus precibus
paradisi gaudia dentur.

Sanctorale Aniciense imp. Anicii 1624. — Dafs das Officium älter ist als die späte Quelle, aus der es hier mitgeteilt wird, geht wohl zur Genüge aus dem 1. Resp. der 1. Noct. hervor: nostro tempore praeclarus fuit etc. Ebensowenig kann es einem Zweifel unterliegen, dafs dasselbe ursprünglich für irgend eine zu Cluny hörige Abtei verfafst worden und somit monastisch war. (Vgl. ad Bened. **A**: mage grex monachorum.) Die vorliegende Form giebt also dasselbe nicht vollständig. Zugehörig sind die beiden Hymnen: Christe cunctorum mage sed tuorum und: Majole consors procerum.

## 48. De sancto Marcellino.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Marcellinus episcopus
Et totus apostolicus
Reduxit ab errore
Populum Vallanensium
Dans salubre remedium,
Fultum divino rore.

2. Hic praesul in Vallania
Fulsit forma, vita pia,
Micans Dei virtute,
Christus, rex noster, primitus
In ejus mente coelitus
Quievit sine lite.

3. Corde securo Dominum,
Qui redemptor est hominum,
Secutus incessanter,

Se macerans et abstinens,
A vitiis [se continens]
Ob Dominum signanter.

4. Marcellinus sanctissimus,
Vir Deo devotissimus,
Servivit fine fraude,
Mutus qui per triennium
Fuit, reddit officium
Loquendi Dei laude.

5. Imitatus altissimum,
In gravi benignissimum,
Qui lumen caeco nato
Dedit, linivit oculos
Et temnit auri loculos

. . . . . . . . . . . .

Ad Magnificat.

A. Gaude, Monastrolium,
Spiritali gaudio,
Servans sanctuarium
Gratum Dei filio,
Sacrum secretarium
Marcellinum proprium,
Templum dat auxilium
Potenti remedio
Languidis et praemium,
Fides et oratio
Fervensque devotio
Fieri deposcunt.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, cleri, jugiter
Laudemus Christum Dominum
In Marcellini fortiter
Natali, lucis praesulum.

## In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iste vir non abiit
In via pravorum,
Legem Dei subiit,
Tramitem justorum.

2. In monte Sion Domini
Praedicavit verbum,
Vinclum rupit homini
Criminis acerbum.

3. Domine, quid daemones
Sunt multiplicati,
Qui tribulant homines?
Quis hoc potest pati?

Responsoria.

1. Marcellinus episcopus
Sprevit oblectamenta
Mundi, carnis angelicus,
Virtutum ornamenta
Tenens ecclesiastica
Per sancta documenta;
V. Christum dilexit humilem
Sibique favorabilem
Per temporum momenta.

2. Hostis humani generis
Marcellini virtutem
Non ferens norat operis
Rugitibus, salutem
Tollit pravis et miseris
Per suam virtutem,
V. Ipsos ponit in inferis
Et in locis miserrimis
Luentem feritatem.

3. Laudemus venerabilem
Marcellinum gratanter,
Hunc praedicemus humilem
Sublevatum laetanter,
In coelis exsultabilem,
Decoratum potenter;
V. O virum ineffabilem
Nec labore vincibilem,
Excelsum excellenter.

## In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocarem Dominum,
Exaudivit me Deus,
Qui salvator est hominum,
Justitiae rex meus.

2. Antistes Marcellinus,
Nobilis, castus, pius,
Vir justus et humilis,
Dicebat Domino: verba
Mea percipe, Domine.

3. O Domine Adonai,
Nomen multum mirabile
Coelo terraeque, portae
Baratri destructibile.

Responsoria.

1. Quinque talenta tradita
Reddidit duplicata
Vita coelibe placita,
Moribus adornata,
Marcellinus, in gloria
Per gaudia beatus;
V. Servus fidelis Domino
Sic praesul semper exstitit
Meritis adornatus.

2. Haec lux fulsit in nubilo
Fulgore radiata,
Corporis, cordis jubilo
Super coelos locata,
Jubilat semper Domino
Clara voce beata;
V. Antistes Marcellinus,
Nobilis conspicuus,
Humilis vir et pius
Virtutibus ornatus.

3. Per hunc pater luminum
Semper glorificatur,
Procreator criminum
Satan interpretatur,
In meritis hominum
Et agminum supernorum;
V. Eximie dolet Satan
De gaudiis Marcellini,
Quem tenens praecipitat
In ignem aeternorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic innocens
et mundus animo
Non accepit
in vano animam,
Habitavit
in tabernaculo
Jesu Christi
contemplans gloriam.

2. O Domine,
in virtute tua
Laetabitur
hic praesul nobilis,
Salutare
per saecla omnia
Ei donans
tu Deus humilis.

3. Attollite
portas, o superi,
Vos principes,
cives angelici,
Marcellino
sacro antistiti.

Responsoria.

1. Hic sanctus in infantia
Ut Jacob patriarcha
Deo placens per omnia
. . . . . . . . . . . .
. . . data optima
Non captus auri marca,
V. Sprevit mundana gaudia
Et luculenta praedia,
Ovans tenet coelestia.

2. Hic in prima vigilia
Vigilavit aetatis,
Scilicet pueritia,
Virtute caritatis
Inductus falsa gaudia
Sprevit vanitatis;
V. Ob id Christum in gloria
Virtutum inundantia
Plenum videt in patria
Sanctae tranquillitatis.

3. Hic praesul exspectavit
Ad nuptias eundo
Agni Dei, qui lavit
Hominem moriendo,
Lumbos carnis edomavit
Carnem suam frenando,

V. Corpus suum vigiliis,
Jejuniis, angariis
Attrivit in hoc mundo.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hic nitorem induit
In terra decoris,
Sanctam sedem meruit
In regno dulcoris.

2. Jubilate Domino,
Qui sic sublimavit
Marcellinum, termino
Sanctorum ditavit.

3. Deus, Deus meus,
Ad te vigilavi
Et ad tuam gloriam
Semper adspiravi.

4. Omnes sancti Dominum
Benedicant verum,
Et patrem et filium,
Creatorem rerum.

5. Deum laudent angeli,
Qui in coelis habitat,
Et vos, cives superi,
Qui vos sic nobilitat.

Ad Benedictus.

A. Fulget ut sol radians
Marcellinus nobilis,
Languidis auxilians,
Gratus Christo, humilis,
Vir pius, illuminans
His, qui in tenebris
Sedens, ipsos dirigens
Angelorum gaudiis.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Qui salvator est hominum,
Marcellini meritis,
Quia erexit humilem
Dedit et favorabilem
Sublimans in superis.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — Beide Handschriften sind von ausgesuchter Fehlerhaftigkeit; ein gedrucktes altes Brevier von Le Puy existiert nicht mehr. — A 2, 1 Vallenia A, Vallavia B. — A 3, 5 se continens fehlt AB. — A 3, 6 Hoc mundum signanter B. — A 4, 4 qui fehlt A. — A 4, 6 Dei laude fehlt B. — A 5, 2 fehlt A. — A 5, 6 fehlt AB. — Ad Magn. A, 1 Monastrolium (Monistrol) ausradiert B. — Ibid. 6 Marcellinum fehlt B; propitium B. — Ibid. 12 deposcit A. — Invit. 3 Marcellinum A. — In 1. Noct. A 2, 3 Vinculum A, vincula B. — A 3, 1 sq. quid sunt daemones multiplicati AB. — R 1, 3 Mundi hujus carnis A; fehlt B. — R 1, 2 fehlt B. — R 1, 5 Tenens ecclesias B. — R 2, 3 ferens vanis operis B. — R 2, 5 Tulit B. — R 2, 6 lies: per suam pravitatem? — R 2, 7 Ipsos potuit B. — R 2, 9 Flentem feritatem A. — R 3, 2 sq. fehlt A. — R 3, 4 Sublevemus laetantem A. R 3, 5 exaltatum A. — R 3, 9 Exaltatum A. — In 2. Noct. A 2, 1 Antistites A; Marcellinus antistes B. — A 2, 2 castus et pius B. — A 2, 4 Domine A. — A 2, 5 Auribus percipe A; Domine fehlt A. — A 3, 1 sq. nomen Adonai AB. — A 3, 3 sq. Coelo terra porta quod baratrum est destructibile B. — A 3, 4 baratrumque destuctibilem A. — R 1, 1 a Christo tradita AB. — R 1, 2 vita duplicata A, vitam duplicata B. — R 1, 4 ornata A. — R 1, 6 per haec gaudia AB, beata B. — R 1, 7 fidelis Deo B. — R 1, 9 ornatus A. — R 2, 2 reduta A. — R 2, 3 jubilo fehlt AB. — R 2, 6 lies beatus? — R 2, 9 vir pius humilis B. — R 2, 10 adornatus B. — R 3, 1 patri B; laudetur luminum A, laudatur luminum B. — R 3, 5 In meritis hujus et hujus A, In mentis hujus B. — R 3, 6 Et agminum supernorum A; et agnum supernorum B. — R 3, 7 Summe dolet B. — R 3, 9 tenet percipit B. — R 3, 10 ignem fehlt B; aeternum AB. — In 3. Noct. A 1, 4 animam suam AB. — A 1, 7 sq. Domini contemplans A. — A 2, 6 saecla fehlt B. — A 3, 2 o superi vestras B, o sancti vestras A. — R 1, 1 Hic factus in A. — R 1, 6 Non coactus auri A; auri machina B. — R 2, 3 scilicet principio B. — R 2, 5

*Inductus* B. — R 2, 6 *Spernit* A. — R 2, 8 *abundantia* B. — R 2, 9 sq. Videt in gloria sanctae trinitatis A. — R 3, 1 Exspectavit hic praesul A, exspectavit hic praesulus B. — R 3, 8 angaris B. — In Laud. A 1, 1 victorem induit A. — A 1, 3 fidem meruit B. — A 2, 4 dictavit B. — A 3, 2 vigilavit A. — A 3, 4 adspiravit A. — A 4, 4 omnium rerum AB. — A 5, 2 habitant B. — A 5, 3 Et nos cives A, non cives B, — superni B. — A 5, 4 nobilitant B. — Ad Bened. A, 1 Fulsit B. — Ibid. 2 Marcellinus antistes nobilis AB. — Ibid. 4, sq. Gratus Christo vir pius humilis AB. — Ibid. 7 dirigit AB. — Ibid. 8 Gaudiis angelorum AB. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 3 Quia rex coeli humilem A, quia relixit humilem B. — Ibid. 6 Sublimans sanctis superis A, sublimatus sanctorum superis B.

## 49. De sancta Margareta.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Praeclara solemnitas
Margaritae virginis
Adest, in qua petiit
locum celsitudinis
Et a sponso coronatur
in coelesti gloria;
Ut ipsum pro nobis oret,
cujus gaudet gratia,
Supplicantes imploramus
ejus patrocinia.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christi virgo Margarita
a paganis genita,
A patre suo gentili
nutrici est tradita.

2. Virgo decora nimis
est virginitate beata,
Integra virtute,
fidei lex immaculata.

3. Spiritu sancto repleta
mente coelis habitat
Virgo casta toto corde
Deo se suppeditat.

Responsoria.

1. Venerantes clarum diem,
Christum, sponsum virginum,
Collaudemus confitendo
trinum et unum Deum,
In quo Margarita complens
agonis sui stadium
Ad ornatum ex liliis
rosisque transit bravium;

V. Ut Christum precibus
deposcat virgo beata,
Collaetemur in hac
mente jucunda die.

2. Virgo judici oblata
Ab eo interrogatur,
Quo nomine sit vocata
Vel quem Deum veneratur;
Haec fide vera armata
Christum colens se fatetur.

V. Nomen profert Margarita
A judice inquisita
Et cujus fide armetur.

3. Olybrius ingreditur
In urbem Antiochiam,
Christicolas persequitur
Dans crudelem sententiam,
Margarita recluditur
In carceris miseriam;

V. Furibundus Olybrius,
Crudelis atque impius,
Jubet recludi hanc piam.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. A nutrice sua curam
haec accepit ovium,
Quas dum pascit in herbosis
cum choris sodalium,
Persequentem Christianos
incurrit Olybrium.

2. Specie ejus amore
mente captus effera,
Mittit suos explorare,
si jam esset libera,
Illi thori nuptialis
repromittens foedera.
3. Orat Christum Margarita
immensis gemitibus,
Ne suam virginitatem
tradat corruptoribus,
Sed eripere dignetur
angelicis manibus.

Responsoria.

1. Sancta virgo Margarita,
spe firmata futurorum,
Deridebat judicis
munera blandimentorum:
Christum adoro, qui manet
in saecula saeculorum.
V. Glorifico Dominum
meae virginitatis,
Commoveri non potero
a via veritatis.
2. Elevatis Margarita
in coelum luminibus:
Ne tradas me, Jesu Christe,
inquit, unicornibus,
Sed eruere digneris
clemens a leonibus.
V. Obsedit me consilium
Multorum adversantium
Et circumdor canibus.
3. Minant eam praesidi,
Virgo Christi affatur:
Si corpori misereor,
spiritus tribulatur,
Nunc vero per martyrium
gloria praeparatur.
V. Si carni pepercero,
Jam mortem in infero
Anima praestolatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Margarita suspenditur
A militibus praesidis,
Crudeliter et caeditur
Virgulis subtilibus.
2. Illi caedebant fortiter,
Haec ferebat viriliter,
Sanguis ex fonte corporis
Manans currebat deforis.
3. Respice in me, Domine,
Dixit virgo beata,
Non cadam fortitudine,
Sed laeter liberata.

Responsoria.

1. Furibundus Olybrius
nolentem consentire
Jubet . . . . . carcerem
tenebrosum obire,
Sed haec orat, ut Dominus
dignetur subvenire.
V. In carcerem Olybrius
Margaritam celerius
Praecipit introire.
2. Christe, salus
in te sperantium,
Exauditor
ad te clamantium,
Custodi me
ab omni macula,
Benedictus
qui es in saecula.
V. Suscipe servorum,
Christe pie, vota tuorum.
3. Virgo Christi fidei
annulo subarrhata,
Virtutibus et nomine
Margarita vocata,
Ad superni
regis palatia
Defer nostra,
virgo, suspiria
Ora mente
pro nobis sedula
Apud Christum,
qui regit saecula.
V. Cum sponso te coronanti
Psallimus tibi regnanti,
O virgo, Christi famula.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martyrum quinque milia
Patiuntur supplicia
Pro Christo in Armenia
Cum Margarita socia.

2. Hi Christi per miracula,
Quae viderunt in famula,
Exhibent corda credula
Cuncta regenti saecula.

3. Malchus extendens brachium:
Suscipe, inquit, gladium,
Christum circa te video
Ambulantem et timeo.

4. Si Christum, frater, adspicis,
Parce parum, quod objicis,
Ut possim ei fundere
Preces votaque reddere.

5. Carnifex illi adnuit
Orare, quantum voluit,
Et illa Deum precibus
Pulsabat atque laudibus.

Ad Benedictus.

A. Virgo Christi Margarita,
digna coeli curia,
Quae refulges castitate
in corona regia,
Ora sponsum, supplicamus,
pro nostra miseria,
Ut dignetur poenitentum
delere flagitia.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Margarita praefulgida,
In caritate fervida,
Sed passione valida,
Olybrium vicisti,
Tu nos a morte turbida
Tua prece vivifica
Defende, sponsa Christi.

Ad Magnificat.

Gaude, turba supernorum,
ad quorum consortia
Martyrum ingrediuntur
sacra quinque milia,
Cum beata Margarita
sociati gratia.

Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 134. A. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). B. — In 1. Vesp. ad Magn. **A** lautet in B.

Gratulemur et laetemur cum summo tripudio,
Innovatur Margaritae festum atque passio,
Per quam sponsi frui Christi meruit consortio.

In 1. Noct. **A** 3, 3 *se toto corde* A. — **A** 3, 4 *Domini suppeditat* A. — In 2. Noct. **R** 1, 5 Christum, inquit, adoro AB, adoro coelorum A. — **R** 3, 1 Minavit eam A. — In 3. Noct. **R** 1, 4 subire B. — **R** 1, 6 sibi ut Dominus A, ut sibi Dominus B. — In Laud. **A** 1, 3 sq. fehlen A.

## 50. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sancta Margarita,
Dispar patri vita,
Idola spernebat
Christumque colebat.

2. Haec dum esset puella
Vana contempsit saecla,
Et verum sponsum elegit
Deum, quem corde dilexit.

3. Margarita speciosa,
Patri fuit odiosa,
Nam adhaeret vero Deo,
Sed dilecta est ab eo.

4. Repleta sancto flamine,
Munda mundano crimine,
Se totam Deo tribuit,
A quo salutem habuit.

5. Christi virgo Margarita,
A paganis genita,
A patre suo gentili
Nutrici est tradita.
R. Jam prece finita
gladio sacra virgo parata
Jussit se perimi
sperans sibi praemia [grata],
V. Cum sit secura
de coeli luce futura.

Ad Magnificat.

A. Dum cepit manus militum
Puellae corpus inclitum,
Oravit cum suspiriis,
Ne perdatur cum impiis.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem,
Qui gubernat omnia,
Pro quo virgo Margarita
passa est supplicia.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo sancta Margarita,
Signo crucis praemunita
Non abhorret confiteri
Se ancillam Dei veri.
2. Virgo decora nimis
est virginitate beata,
Integra virtute,
fidei lex immaculata.
3. Jussit praeses virginem
Carceribus tradi,
Minatur eam subdere
Tormentorum cladi.

Responsoria.

1. Exercet bella
cum praeside pulchra puella,
Nec consentire
vult nec sua jussa subire,
V. Nequam praefectus
mollire studet sibi pectus.
2. Dum peccatorum
manibus pia virgo tenetur,
Orat et implorat,
ut ei Deus auxilietur,
V. Dum nimium metuit,
ut corpus ei maculetur.
3. Virgo respondet,
dum praeses ei bona spondet,
Impie praefecte,
non appretio tua nec te,
V. Christo dedicata sum,
quem pro nobis scio passum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Margarita detenta carcere
Deo preces non cessat fundere,
Nutrix mota misericordia
Ministravit ei cibaria.
2. Et ecce de angulo
carceris opaco
Exivit horribilis
quidam magnus draco,
Qui emersit subito
de tellure fracto.
3. Orat Christum Margarita
Immensis gemitibus,
Ne suam virginitatem
Tradat corruptoribus,
Sed eripere dignetur
Angelicis manibus.

Responsoria.

1. Ecce draco latus
latos reseravit hiatus
Et famulam Christi
devoravit carcere tristi.
V. Et deglutivit,
quam ventre perire sitivit.
2. Jamque Dei donis
crux crevit in ore draconis,
Qua se pro telis
munivit virgo fidelis,
V. Protinus ancillam
crux Christi liberat illam.
3. Sponsa Dei pavet
hostem videns odiosum,
Inde columba venit,
crucis signum speciosum

V. Ut promittat ei,
munus vitae speciosum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Martyrum quinque milia
Patiuntur supplicia
Pro Christo in Armenia
Cum Margarita socia.

2. Haec est de prudentibus,
Quae sponsum sequuntur,
Haec est de virginibus,
Quae Christo junguntur.

3. Christus sponsam diligit
Ab ea dilectus,
Eorum mirabiliter
Ornatus est lectus.

Responsoria.

1. Olybrius ingreditur
In urbem Antiochiam,
Christicolas persequitur,
Dans crudelem sententiam,
Margarita recluditur
In carceris miseriam;
V. Furibundus Olybrius,
Crudelis atque impius,
Jubet recludi hanc piam.

2. Margarita devoratur
A dracone, qui necatur
Fidei signaculo,
Margarita liberatur,
Cui mox bellum paratur;
V. Dicti super nam draconis
Adstat adstans cunctis bonis
Carceris in angulo.

3. Corpore deciso
virginis a daemone viso,
Lampade terrifica
Christi cruciatur amica,
V. Lymphis mergenda
datur gladio ferienda.

Prosella.

Margarita,
virgo eximia,
Psallentibus
adsis propitia,
Confer nobis
summa praesidia,
Intercedens
pro nostra venia
Apud Christum,
qui regit saecula.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Per capillos daemonem
virgo comprehendit,
Projicit in pulverem
et superascendit.

2. Clamat virgo daemoni
me, fere, dimitte,
Quia sponsus meus est
rex aeternae vitae.

3. Sic columba loquitur:
virgo generosa,
Exspectat te rex gloriae,
porta speciosa.

4. Agit Deo gratias
sancta Margarita,
Columbae sententia
laetatur audita.

5. Dixit nequam spiritus:
virgo digna Deo,
Pedem tuum alleva
jam de collo meo.

Ad Benedictus.

A. Praefectus Olybrius,
in quem daemon repit,
Adduci de carcere
virginem praecepit,
Cum Christi signaculo
virgo se signavit,
Quidquid ei diceret,
judex exspectavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gratulemur et laetemur
cum summo tripudio,
Innovatur Margaritae,
festum atque passio,
Per quam sponsi frui Christi
meruit consortio.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — In 1. Vesp. A 2, 2 contempsit gaudia B. — A 3, 3 venait haec vero Deo A; vero fehlt B. — A 4, 2 fehlt A. — A 5, 2 a panis est genita A. — A 5, 3 Patre suoque gentili A. — A 5, 4 Fuit tradita nutrici. — R 2 virgo perita B. — Ibid. 3 se parum A. — Ibid. 4 sperans sibi praemia A; sibi praemia premi B. — Ad Magn. A, 3 Orat tamen cum superis A. — Invit. 2 omnia fehlt B. — Ibid. 3 quo beata Margarita B. — In 1. Noct. A 1, 4 Dei vivi A. — A 2, 2 est fehlt A. — A 3 fehlt A. — R 1, 4 nec sua jussa subire fehlen A. — R 1, 6 vult sibi B. — R 2, 4 Deus ei A. — R 3, 2 bona studet A, spondit B. — R 3, 4 nec pretio nec a te A. — In 2. Noct. A 1, 4 Ei ministrat B. — A 2, 4 magus draco A. — A 2, 4 Qui emisit A; Quem emisit B. — A 2, 6 De tellure tracto AB. — R 1, 2 reservat A, reserat B. — R 1, 3 Ut famulam B. — R 1, 4 devorat A, de ventris carcere B. — R 1, 5 Eam deglutivit B. — R 1, 6 Quem de ventre perire B. — R 2, 3 Qui se B; pro scellis A. — R 3, 1 Dei servat B. — R 3, 6 vitae fehlt A. — In 3. Noct. A 1, 1 Martyrium B. — A 1, 2 parcuntur B. — A 1, 3 in Arvernia AB. — A 2, 2 sunt. — A 2, 3 sunt. — A 3, 3 mirabili A. — A 3, 4 est dilectus A; est locus A. — R 1, 7 Feribundus B. — R 1, 8 et impius A. — R 2, 2 qui nascatur A, vastatur B. — R 2, 5 mox bellum A. — R 2, 7 Dicti fratris nam draconis B. — R 2, 8 Adstat adstans tactis bonis A, offenbar verdorben. — R 2, 9 Carceris in cingulo A. — Prosella, 10 pascit saecula B. — In Laud. A 2, 2 fere fehlt B. — A 3, 3 Exoptat te A. — Ad. Bened. A, 8 judex spectavit A. — Einzelne Teile dieser Historia sind der vorhergehenden entlehnt.

## 51. De sancta Margareta.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virgo mater ecclesia
Nova frequentans cantica,
Ob honorem sacrosanctae
Deum laudans Margaretae.

2. Adest namque dies sacra,
Quam solaris refert rota,
Qua carnali mole strata
Coelum petit Margareta.

3. Haec est virgo speciosa,
De gentili stirpe sata,
Quae sic suum genus ornat,
Rosa vernans ut spineta.

4. Virginitatis lilium
Christo offert eximium,
Christus in tali munere
Pascens cubat meridie.

5. Florem istum Olybrius
Vastare dum demolitur,
Dei fulta juvamine
Fuso decorat sanguine.

℟. Prudens virgo Margareta,
Martyr Christi gloriosa,
Sponsa tu regis aeterni,
Solve nostrorum vincula
Peccatorum prece pia.

℣. Superatis autem cunctis
Tormentis tu gloriaris
Nunc in coelis cum angelis,
Audi nos, mente precamur
devota.

Ad Magnificat.

A. Inter catervas virginum
Agnum Dei sequentium
Margareta, virgo pia,
Dulce cantat Alleluja.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Perenni sponso virginum
Plebs exsultet fidelium,
In quo virgo Margareta
Vincens mundum tenet astra.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Flagrabat certe nimia
Dilectionis copia,
Quam speciali gratia
In dilecto fundaverat.

2. Margareta regnum mundi
Cum suis illecebris
Spernens corde se devote
Christi jugo subdidit.

3. Dei cultrix Margareta,
Sancto spiritu repleta,
Malle se dixit occidi,
Quam idolis inclinari.

Responsoria.

1. Ex tenebris Babylonis
Stella surgit aurea,
Splendor cujus procul fugat
Daemonum phantasmata,
V. In tenebris lux lucebat
Et comprehendi nequibat.

2. Agna Dei Margareta
Veste sua spoliatur,
Cujus caro diris flagris
Incunctanter laceratur;
V. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

3. Inter tam dira verbera
Christo fudit precamina,
Ne frangatur suppliciis
Ullo timore corporis.
V. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem ejus.*

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Amor inexstinguibilis
Inflammarat cor virginis,
Sacro teste eloquio
Fortis ut mors dilectio.

2. Hunc aqua nec immania
Necare valent flumina,
Huic virgo clarissima
Cuncta postponit lubrica.

3. Pro servando hoc foedere
Non veretur se tradere
Mortis sacrae compendio
Regnatura cum Domino.

Responsoria.

1. Felicibus praesagiis
Versis sursum vestigiis
In aere suspenditur
Diri fumi angoribus,
V. Quia illi optanti coelica
Amarescunt cuncta terrestria.

2. Christi sponsa crudelibus
Divaricatur unguibus,
Ac tum se jungit strictius
Castis ejus amplexibus;
V. Rosei undis sanguinis
Amor florescit virginis.

3. Flammis virgo exuritur
Et in aquis demergitur,
Sed manet invincibilis
Sacri virtute flaminis;
V. *Transivit per ignem et aquam.*

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hinc est, quod virgis caeditur,
Quod ejus caro carpitur,
Rubescit corpus sanguine,
Regnat vigor in virgine.

2. Post ista tam ingentia
Tamque dira supplicia
Martyr Christi exuritur
Nec non aquis immergitur.

3. Quidquid audet crudelitas,
Perfert ejus integritas,
Subactaque nequitia
Intrat coeli palatia.

Responsoria.

1. Virgo Christi Margareta
Pro nostris miseriis
Dum oraret, vox auditur
Emissa a superis:

Obtinendo postulata
Veni ad coelestia.
V. *Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam audire promeruit.*
2. Margareta,
forma munditiae
Et exemplar
omnis justitiae,
Quae pro Christo
fundendo sanguinem
Sortita es
coelestem gloriam,
V. Nos abstractos
ab hac miseria
Fac laetari
tecum in gloria.
3. Hodie decus virginum
Margareta eximium
Pro sui lege Domini
Neci laeta se obtulit,
V. Quae cum palma victoriae
Regnum adivit gloriae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christi virgo Margareta
educta de carcere
Mox praefecti Olybrii
sistitur praesentiae.
2. Margareta, inquit praeses,
offer diis libamina,
Ne vernantis nunc aetatis
incurras discrimina.
3. Sponsa Christi sic respondit
ministro nequitiae;
Deum, coeli conditorem,
adoro quotidie.
4. Tunc praefectus furibundus
virginis ad latera
Applicari statim jussit
gravia incendia.
5. Torrens ignis saevit foris
membra per virginea,
Sed ministrat amor Dei
intus refrigeria.

Ad Benedictus.

A. Martyr Christi Margareta
dum manet immobilis,
Caput ejus amputatur
praecepto Olybrii,
Sancta cujus anima
exiens de corpore
Migrat ad coelestia
columbina specie.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Margareta,
cultrix justitiae,
Quae cum Christo
gaudes in aethere,
Ipsum roga
pro nobis jugiter,
Ut nos tecum
simus perenniter.

Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515. — In 1. Vesp. A 5, 1 hier und später stets Olimbrius. — R, 3 sq. peccatorum vincula. — Ibid. 7 sq. tuis nunc gloriaris.

## 52. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Margareta,
virgo martyrque beata,
Sponsa tuo grata
sponso, lux luce repleta,
Cum sanctis redoles
hodie, tu coelica proles,
Christum magnificas
et super astra micas.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem laudantes,
regi jubilemus ovantes,
Qui Margaretam
transvexit in aethera laetam.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Margareta colens
Christi mirabile nomen,
Virgo fide redolens
mundanum respuit omen.
2. Haec est virgo sacra,
quae contempsit simulacra,
Cui plus est grata
Domini lex immaculata.
3. Haec mundo corde
vixit, quia caruit sorde,
Post vitae cursum
penetravit aethera sursum.

Responsoria.

1. Lux fulget celebris,
qua Margareta puella
De mundi tenebris
oritur coelo nova stella,
Gaudens ante Deum
duplicavit ab hoste trophaeum;
V. Vocibus hinc crebris
resonet sexus muliebris.
2. Virgo Deo grata,
generosa stirpe creata,
Christi lege pater
cujus caret et sua mater,
V. Quos, quia gentiles,
fugit et reputat quasi viles.
3. Carnis spurcitias
ob Christi spernit amorem,
Mundi delicias
renuit, decus atque decorem,
V. Haec contemplatur
coelestia nec satiatur.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Justiae cultrix
et nequitiae fuit ultrix,
Nunc Christo juncta,
quia prae consortibus uncta.
2. Torrens flumineus
hodie nos laetificavit,
Sponsus quippe Deus
sponsam sibi sanctificavit.
3. Haec est fundata
constanter et aedificata,
Martyrio fortis
superat discrimina mortis.

Responsoria.

1. Ex Asia veniens
partes petit Antiochenas
Olybrius, cupiens
sanctis infligere poenas,
V. Nequitiae testis,
fidei saevissima pestis.
2. Virgo fide stabilis
a praeside non superatur,
Nec sua mens fragilis,
dum caeditur et cruciatur,
V. In poenis orat,
et sanguis membra colorat.
3. Carceris a parte
saliens draco daemonis arte,
Distinctus more
vario varioque colore,
Mox rapit ancillam,
Christi crux liberat illam.
V. Freta crucis signo
servatur ab hoste maligno,
Tunc alvo caesa
crepuit non virgine laesa.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Laudibus exsultet
polus omnis, terra resultet,
Turba puellarum
congaudeat et dominarum.

2. Regnans in caelis
exultat virgo fidelis,
Vita solemni
pollens et luce perenni.
3. Plebs devota Dei
praesentis festa diei
Glorificet renovans,
cantica cantet ovans.

Responsoria.

1. Daemon adest frater,
quem tartarus edidit ater,
Hunc virgo pede terit,
superatus cedere quaerit,
V. Leniter affatur
veniamque blande precatur.
2. Virgo flagellatur,
sursum suspensa crematur,
Ut subjungatur,
tortor jubet, et moriatur,
Vertice truncato
migravit fine beato;
V. Quam felix anima,
pro summis despicit ima.
3. Virgo, puellarum
jubar et speculum dominarum,
Virginei floris
decus et diadema decoris,
Sede fruens caeli
plebi succurre fideli.
V. Ecce, columbina,
vox clamat, sponsa, festina
In sponsi Christi
paradisum, quem meruisti.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Virgo coronatur,
regnum sortita supernum,
Cujus in aeternum
sedes super astra paratur.
2. Omnes athletae
fidei, Domino jubilate,
Qui Margaretae
celebratis festa beatae.
3. Haec caruit naevo,
tenero dum vixit in aevo,
Quam sic adstantem
Deus invenit vigilantem.
4. Haec est, mundana
cui semper gloria vana,
Dignaque multiplici
bonitate Dei benedici.
5. In sanctis ejus
laudemus cunctipotentem,
Qui Margaretam
reddit super alta nitentem.

Ad Benedictus.

A. Gemma pudicitiae,
quae Margareta vocaris,
In coelis hodie
cum Christo glorificaris,
Pro meritis fidei
rutilans aurora diei,
Fac, virtute Dei
nos super astra vehi.

## In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O quam glorifica
sublimis luce coruscat,
Quam non obfuscat
labes, deitatis amica,
Martyr sidereis
hodie stipata choreis
Psallat cum cithara
sponsi coelestis in ara.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 1061. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. B. — Invit. 2 regem jubilemus A. — In 3. Noct. R 1, 2 edidit alter A. — R 3, 8 sponsa propina A. — Hymnen: Hymnum canamus gloriae (Vesp.); Laetetur mater inclita (Noct.); Pangat chorus fidelium (Laud.).

## 53. De Tribus Mariis.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magna fecisti, Domine,
Humilitati virginis,
Matris filii hominis
Sine hominis semine,
Cujus sorores geminae,
Sui consortes nominis,
Consortes sunt et luminis
In celso coeli culmine.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Unum Deum in trinitate
Fideliter adoremus
Et sacras tres sorores
Sub ejusdem nominis unitate
Devote collaudemus.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lunam et stellas dicimus
Esse tres sorores,
Per quas humanos novimus
Illustrari mores.

2. Sponsus coeli sibi sacrarium
Fecit corpus Mariae virginis,
Cui sorores ejusdem nominis
Duae datae sunt in solatium.

3. Haec sacra generatio
Christum noverat quaerere,
Quae a crucis patibulo
Nesciebat discedere.

Responsoria.

1. Ad laudem sororum trium,
Quibus est nomen Maria,
In unitate cordium
Vocum psalle concordia
Cum suavi melodia,
V. Decet namque consortium
Dulce sororum dulcium
Dulci coli memoria.

2. Felix Anna, felices filias
Genuit tres nomine Marias:
Prima parit Christum,
secunda Jacobumque minorem
Et Joseph justum
peperit cum Simone Judam,
Tertia majorem
Jacobum volucremque Johannem.
V. Prima tulit
fortiorem hominum
Et secunda
pulsores criminum.

3. De Joachim est Maria
Sanctae prolis primitia,
De Cleopha est alia
Et de Salome tertia,
V. Anna namque connubia
Trium sortita est tria.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. O quam honoratissimae
Sunt in coelesti curia,
Quae ejus sunt tam proximae,
Qui regna dat coelestia.

2. Jesus matri suae pium
Dedit adjuvamen
Per sororum felicium
Sanctum consolamen.

3. Dei laudabilis
Est virgo civitas,
Quam venerabilis
Vallat proximitas.

Responsoria.

1. Mulieres multae secutae
Erant Jesum a Gallilaea
Ministrantes ei,
V. Inter quas erat Maria,
Mater Jacobi et Joseph,
Et mater filiorum
Zebedaei.

2. Quem lactavit genitrix Maria,
Materterae Mariae paverunt,
Qui formavit montes et maria,
Quem oculi videre meruerunt.
V. Cui mortuo pararunt
frustra aromata,
Nam non invenerunt
mortuum, qui mortem
Superavit, quem confestim
viderunt viventem.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In sororum
laeto solemnio
Laetantium
concinat concio.
2. Sancta sanctiomonia
Sanctarum sororum
Et magnificentia
Natorum suorum
Nobis reddant praemia
Excelso coelorum.
3. Sororum laudes cantibus
Decet exaltare,
Per quas fit notum gentibus
Dei salutare.

Responsoria.

1. Non vacat a mysterio,
Quod nomen hoc habuerunt,
Quae illustratae fuerunt
In sancto testimonio,
Dum quem crucis supplicio
Judaei defecerunt,
Vivere sine dubio
Se vidisse dixerunt.
V. De resurgentis gaudio
Esse testes meruerunt.
2. Quam felices
sunt Christi proximae,
Quae perductae
sunt cum laetitia
In templum, quo
sanctorum animae
Summi regis
fruuntur gloria;
V. Illic splendent
regina Maria
Et sorores
ejus sanctissimae.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christus regnans
praeponit omnibus
Matrem suam,
cujus sororibus
Dat decorem
in summis sedibus.
2. Omnis terra
resultet gaudiis
In sororum
laetis solemniis.
3. Dedit fructum
coelorum Dominum
Terra bona,
regina virginum,
Orbis doctores
cujus genuere sorores.
4. Benedictus
fructus ventris [tui]
Per te, virgo,
eis detur frui,
Qui hoc festum
celebrant cernui.
5. Exsultent Sion filiae
In sororum progenie,
Multiplicantes hodie
Laudes nominis Mariae.

Ad Benedictus.

A. Salutem in domo David
Nobis ex stirpe regia
Et Aaron prosapia
Deus Israel paravit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo, regina virginum,
Et ejus sanctae sorores
Orent pro nobis Dominum,
Ut nos suos servitores
Factos sibi gratiores
Diluta sorde criminum
Faciat habitatores
Montis verorum luminum.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — In der 2. und 3. Noct. ist je ein R prosaisch. In Laud. hymnus: Exsultet coelum laudibus.

## 54. De s. Maria Aegyptiaca.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virginis et matris
vultu blanditur amico
Tristibus atque quasi
lapsos invitat imago.

2. Spes mea dulcis, ave,
mea spes, quia spes miserorum,
Me miseram fateor,
spes mea dulcis, ave.

3. Tu portus veniae,
veniam peto, sanguinis ergo
Esto memor de te
sumpti, sed in cruce fusi.

4. In cruce clamavit
*Sitio* Jesus, hic tibi clamor
Insitus, ut miseros
releves, soleris egenos.

R. In Aegypti tenebris
Nocte gravi tectam
Maria, spes veniae,
Mariam infectam
Verae reddit gratiae
Consolans dejectam,
Quam coaptans gloriae
Viam docet rectam

V. Amplexuque Jesu
quam dulcis inebriat illam.

Ad Magnificat.

A. O spes dulcis dejectorum,
Quam a fune peccatorum
Mater Christi liberat,
Opem confer, o Maria,
Nobis in hac carnis via,
Quos mundus incarcerat,
Et quos urgent vitia,
Tua mundet gratia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Mens devota Deum
laudans procedat in altum,
Qui dedit in requie
lucem sine nocte Mariae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gustata dulcedine
Ligni salutaris
Illustratur gratia
lucis salutaris
Felix Aegyptiaca.

2. Adorata igitur
cruce Salvatoris
Haec igne succenditur
praedulcis amoris,
Qui consumit vitia.

3. Matrem et spem veniae
Suscepit Maria,
Praeductricem gratiae,
Per quam recta via
Patet illi coelitus.

4. Praeduce matre Dei
transitur fluminis unda
Et secum sola
manet actu menteque munda.

5. Sola Deo soli
servit bene cognita soli,
Solo sola solo
contenta sub aere nudo.

6. Sic coelum coelo
tegitur, sic mansio Christi,
Mansio florigera,
se mundo subtrahit isti.

Responsoria.

1. Templi per miraculum
Aditu negato
Inardescit animus
Ardore beato
Felicis Aegyptiacae,
V. Conteritur, plorat,
fervet, suspirat et orat.

2. Non fuit horarius
Motus iste mentis,
Sed immissus coelitus
Ardor poenitentis
Dignos fructus referens,
V. Anxia mente nimis
cordis suspirat in imis.

3. Transit Maria Jordanem
Ubi vitam non inanem,
Vitam ducit admirandam
Et ubique praedicandam,
V. Inde legant flores
monachi florumque sapores.

4. Stella maris opem quaerit
Nec in vanum preces serit,
Relevatur a ruina
Medicantis medicina,
Quae languores sanat gratis
Dans medelam vulneratis;
V. Nam virgam Jesse
miseris delectat adesse.

## In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nullum praebet ei
res mundanae speciei
Auxilium, nec avis,
nec homo, nec bestia quaevis.

2. Sed solatur eam
solamen dulce laborum,
Spes miseris, medicina reis,
tutela bonorum.

3. Angelici panis
dulci perfusa sapore
Pascitur et vivit
vitae coelestis amore.

4. Angelici cives
huic adsunt lumine, dives
Coelesti tota
rapitur super aera mota.

5. Sicque quater denis
annis septemque peractis
Evolat ad gratum
gaudens sine vespere mane.

6. Illam martyrii
solemnis purpura vestit
Et rosa dat sertum,
rosa, quae semper juvenescit.

Responsoria.

1. Servituti nimis durae
Vitam carnis perituræ
Haec addicat et indicat
Sibi curam nimis duram,
Famem, sitim, frigus, aestum,
His impinguat corpus maestum;
V. Herba cibum, dat terra thorum,
vivax aqua potum.

2. Ad hanc cedrum exstirpandam
Et virtutem enervandam
Vis convenit infernalis;
Quantis hanc vexarit malis,
Solus Deus semper vidit,
Qui Mariae vim providit,
V. Qua fugiat, qua deficiat
pessumdatus hostis.

3. In hac gravi multum lucta
Non est martyr haec seducta,
Martyr, inquam, non mucrone,
Ne tam brevi passione
Muniatur spes coronae;
V. Pluribus huic annis
nec crux nec defuit ensis.

4. Sancta martyr dum insultus
Carnis sentit et tumultus,
Flendo quaerit vitae portum,
Virgo mittens lucis ortum
Fugat procul incentorem
Dulcem illi fundens rorem;
V. Major majorem
promittit lucta coronam.

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Rex, qui cuncta regit,
qui rerum flectit habenas,
Suscipit electam
felici fine Mariam,
Ergo tuis tibi posse dato
succurre, Maria.

Responsoria.

1. Crucem cruce graviorem,
Ensem ense fortiorem,
Qui Mariae studes laudi,
Deum laudans laetus audi:
Quadraginta vixit annis
Sine pane, sine pannis;
V. Peccati stimulum
vicit carnisque tyrannum.

2. Sancti patris Zosimae
Merito monstratur
Tantae gemmae claritas,
Videns delectatur,
Orantis in aere
Corpus sublevatur
Et, quod coelum penetret,
Silens vox testatur;
V. Nam corpus sequitur,
quo cordis motibus itur.

3. Pede sicco transiit
Jordanem Maria,
Nam in fide fecerat
Pontem arta via,
Quam miram transegerat,
Ibi mater pia
Corpus sumit Domini
Sui finis scia,
V. Plena Deo festinat eo,
quo gloria vera.

4. Rosa fraglans, lux solaris
Tibi semper adfuit,
Ut calcares undas maris
Vim virtutis praebuit,
Vitae tibi singularis
Patefecit aditum,
Tali duce coronaris
Coelo reddens spiritum;
V. O Maria, nos adstantes
Tuae laudi respice,
Juva, mater, te laudantes
Et nos tecum suscipe.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Jam patienter amans
et amoris vulnere languens,
Luctas et luctus
fert sancta graves patienter.

2. Jerusalem tota
suspirans mente supernam,
Spiritui vivit,
non carni caelibe vita.

3. Legitime certans
Christoque juvante triumphans
Militiae palmam
recipit meritique coronam.

4. Civibus adscripta
coeli mercede laborum
Jam fruitur, merces
Deus est, finis sine fine.

5. Illi, quo frueris,
semperque beata frueris,
Nos prece commenda
mala delens nostra, Maria.

Ad Benedictus.

A. Summae gloriae
Regem, cujus facie
Gaudes luce
Coelestis patriae,

Fontem nobis gratiae
Et spem veniae
Fac placabilem,
Habilem
Nobis condolens
Crimen abolens
Carnis impiae,
Confer lacrimas
Poenitentiae
Et spem imprimas
Indulgentiae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Terram simul fodiunt
Zosimas et leo,
Qua corpus operiunt,
Corpus gratum Deo,
Hic et haec in patria
Jam fruuntur eo,
Suae precis gratia
Nos conducant eo.

Brev. ms. Broniense saec. 15. Cod. Semin. Namurcen. s. n. — In 1. Noct. **A** 2, 3 succendit. — **A** 2, 5 consumitur. — **R** 4, 3 Revelatur. — In 3. Noct. **R** 1, 8 canisque. — **R** 3, 1 transit. — In Laud. **A** 1, 1 In patienter.

## 55. De s. Maria Aegyptiaca.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Instanti solemnio
Assurgens devotio
Nostra gratuletur,
Mariae Aegyptiae
Laudis multifariae
Titulus donetur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Deus, cujus
mira clementia
In Maria
claret Aegyptia,
Adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Egressus zella
proficiscens ad nova bella
Fert trans Jordanem
Zosimas pro tempore panem.

2. Stratus humi plorat,
socium sibi quaerit et orat,
Quod petit, assequitur
sociusque sibi reperitur.

3. Quandam currentem
Zosimas sed veste carentem
Vidit et expavit,
quoniam phantasma putavit.

Responsoria.

1. Ad Mariae
laudem Aegyptiae
Vox ubique
sonet laetitiae,
Gaudet ejus
de poenitentia
Et exsultat
coelestis curia.
V. Germine non humili
genuit quam patria Nili.

2. Vultu clara,
clara natalibus,
Inhonestis
obscura moribus,
Plena laxans
frena lasciviae
Nullum cavit
opus infamiae.
V. Historiis scelerum
contempsit quemque dierum.

3. Dum hanc templum
intrante quolibet
Vis intrare
divina prohibet,

Se immundam
scit ausam temere
Mundum velle
locum attingere,
V. Nec patitur crimen
sacrum contingere limen.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Visu turbatus
signo crucis est revocatus,
Viribus hic sumptis
iter investigat euntis.

2. Sancte senex, propera
visurus spe meliora,
Quae legis et sequeris,
vestigia sunt mulieris.

3. Hanc Zosimas sequitur,
rogat, ut stet, nec minus itur,
Ille magis solito
clamat: moderatius ito.

Responsoria.

1. Imaginis
cujusdam pedibus
Provolvitur
insistens precibus;
Erat scriptum
nomen imaginis
Sub honore
Mariae virginis,
V. Quae salvatorem
peperit ceu stella nitorem.

2. Ad desertum
festinans evolat,
Ubi Christo
se totam imolat,
Se veterem
in se persequitur,
De veteri
nova renascitur.
V. Tota caro pridem
fit tota rebellis eidem.

3. Christo vivens
et mundo mortua
Carnem domat
cruce assidua,
Oris honor
jam defloraverat,
Quem macies,
quem sitis asperat,
V. Excrescunt illi
nivei modicique capilli.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Femina sum, Zosima,
scelerum molimine prima,
Suppleo praeteritae
scelus et dispendia vitae.

2. Poena voluptatem
redimit, sitis ebrietatem,
Crux mollem stratum,
devotio sacra reatum.

3. Tot tormenta fere
fero, quot probra praeteriere,
Quidquid peccavit
caro, carnis victima lavit.

Responsoria.

1. Orans coram
senis intuitu
Transit coelos
Maria spiritu,
Caro mentem,
quo potest, sequitur
Et a terra
tota suspenditur,
V. Est tamquam terrae
nollet contagia ferre.

2. Signum crucis
imprinens fluvio
Transit illum
sicco vestigio,
Et vespere
coenae Dominicae
Turmae datur
comes angelicae,
V. Victricem mundi
dissolvit prima secundi.

3. Peragrante
desertum Zosima
Super artus
carentes anima

Lux effulsit
sole praeclarior,
Novo stupet
eventu senior;
V. Currit, eam reperit,
quam votis, quam pede quaerit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Desuper algentes
artus animaque carentes
Illuxit radius
quasi dux et praevius hujus.

2. Dum dolet, est dubius,
de nomine fluctuat ejus,
Suscitat ora senis
inventum nomen arenis.

3. Sancte pater, Phariae
sepeli, precor, ossa Mariae,
Gleba recondatur,
cineri cinis adjiciatur.

4. His Zosima demum
nomenque diemque supremum
Agnoscit dubius,
quis conditor exstitit hujus.

5. Femina sanctorum
mercede beata laborum
Ad tumulum vehitur,
famulante fera sepelitur.

Ad Benedictus.

A. Edomata
sexus mollitie
Impetuque
fracto lasciviae
Sic de hoste
triumphans duplici
Carnem docet
et sexum subjici
Spiritui Maria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In procellis
hujus naufragii
Nobis esto
portus refugii
Atque tua
festa colentibus
Tuis sanctis
succurre precibus
Et meritis, Maria.

Brev. ms. Parisiens. saec. 14. Cod. Parisin. 1023. A. — Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515. B. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. C. — In 1. Noct. **A** 3, 1 Quendam A. — **R** 2, 9 et scelerum A. — In 2. Noct. **R** 2, 9 Tota precor pridem A. — **R** 2, 10 tota precor ora Mariae A; modo tota rebellis eidem B; hierauf folgt in A noch:
Gleba recondatur, cineri cinis adjiciatur.
**R** 3, 9 Horrescunt illi B; dies ganze **R** prosaisch. C. — In 3. Noct. **A** 2, 3 statum. — In Laud. **A** 1, 4 praevius ejus B. — **A** 2, 2 fluctuat hujus B.

## 56. De s. Maria Aegyptiaca.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Trinae vocis
Gaudens obsequio
In Mariae
sacro solemnio
Laudum melos
promat haec concio.

2. Derelinquens patriam,
Matrem, genitorem,
Duodennis perdidit
Castitatis florem.

3. Luce carens et liquore
Quasi virgo fatua,
Foedi luxus in squalore
Jacebat assidua.

4. Carnis tandem
abhorret vitia
Matris Dei
tangente gratia.

5. Peccatricis
miserae conversio
Fit excelsi
dexterae mutatio.

Ad Magnificat.

A. Salutari
cum Deo creditus
Exsultavit
Mariae spiritus,
Cum audiret
clamantem coelitus,
Per Jordanem
fit viae transitus.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Noster chorus sit sonorus
Regi supernae gloriae,
Qui Mariam Aegyptiam
Sursum provexit hodie.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Subjecta sunt omnia
Mariae sub pedibus,
Spernentis terrestria
Carnis cum operibus.

2. Trans Jordanem fluvium
Ad currendam viam
Matrem deviantium
Salutat Mariam.

3. Non in vano
votum accipiens
Praecursoris
templum ingrediens
Vivifico
Corpore dominico
Se munivit
iter aggrediens.

Responsoria.

1. Electarum
in multitudine
Laudem habens
Maria nomine
Militavit
in solitudine;
V. Corroboravit brachium,
Lumbos ob carnis vitium
Accingens fortitudine.

2. Ter quindecem
duobus additis
Annis vitae
decora meritis
Sub deserti
degebat abditis,
V. Corpus deficiens
Herbis reficiens
Ad usum licitis.

3. Nigra verni temporis
Aestus a fervore
Rigescebat frigoris
Gelu prae stridore,
Destituta corporis
Totius vigore.
V. Imminente transitu
Jacens absque spiritu
Erat prae dolore.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Poenitentis
diffusa gratia
In labiis
docebat omnia,
Quae commisit,
dolere vitia.

2. In omnibus
Tribulationibus
Suis adjutorem
Deum habuit,
Ideo non timuit
Hostem et ultorem.

3. Memor se scientium
Raab Babylonis

Reparator omnium
Ejus desiderium
Adimplevit bonis.

Responsoria.

1. Juxta fratrum
consuetudinem
Tunc Zosimas
per solitudinem
Pergens vidit
praeter hanc neminem,
V. Non hominem
Aut bestiae
similitudinem.

2. Elongavit fugiens
Nudam se, conspiciens
Senem prosequentem,
Hic, quid esset, nesciens,
Exclamabat inquiens:
Sustine currentem.
V. Cooperta rediens
Stetit senem audiens
Flentem et gementem.

3. Sancti, quem non noverat,
Vocans nomen senis
Refert hoc, quod egerat
Annis a bis senis,
V. Audit et considerat
Constans vir et lenis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inter gentes gloriam
Ejus nuntiemus,
Cujus nos memoriam
Sacram recensemus.

2. Recto corde poenitenti
Carnis de luxuria,
Juxta recta facienti
Orta est laetitia.

3. In conspectu gentium
Tantae matris opera
Revelavit omnium
Rex, qui regit sidera.

Responsoria.

1. Post vitae monita
Redit ad solita
Senex et eremi
Altera volita
Petivit abdita,
V. Christi mundo corpore
Et cruore munita.

2. Mersis olim hostibus
Mare firmis gressibus
Moyses calcavit,
Potens haec virtutibus
Super aquas pedibus
Siccis ambulavit
V. Excelsi prae regibus
Virtute, qui fluctibus
Maris imperavit.

3. Redit senex
post anni circulum
Mariaeque
videt ad oculum
Examine
jacens corpusculum
Refulgentis
per lunae speculum,
V. Famulatum
exhibens sedulum
Adest leo
praeparans tumulum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Exsultemus hodie
Voce modulata
Felicis Aegyptiae
[Memores] memoriae,
Cui jam in requie
Sedes est parata.

2. Quia portas Domini
Gaudens introivit,
Illi confitemini,
Quem haec exquisivit.

3. Super vitas est melior
Et dulcior
Dei memoria,
Quam Maria
Experta est Aegyptia.

4. Cum hac Dei famula
Dominum laudemus
Et eum in saecula
Semper exaltemus.

5. Mansuetam in salutem
Christus exaltavit,
Laudem ejus et virtutem
Dum magnificavit.

Ad Benedictus.

A. Ad dandam scientiam
Mariae salutis
Ejus legit propriam
Nominis laetitiam
Senex vir virtutis.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O gloriosa omnia
Sanctorum inter agmina,
Quae magnificas Dominum,
Nostrorum sordes criminum,
Pia mater, elimina
Et per tua precamina
Post hujus mundi crimina
In libri vitae pagina
Nostra concribe nomina.

Brev. ms. Atrebatense saec. 15. Cod. Atrebaten. 747. — Invit. 3 Aegyptiacam. — In 1. Noct. **R** 2, 2 abditis. — In 2. Noct. **A** 1, 2 diffusa est gratia. — In 3. Noct. **R** 1, 4 Altera vocem.

## 57. De s. Maria Aegyptiaca.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriosa jam per orbem
rutilant solemnia,
Qua coelestem sumpsit vitam
Maria Aegyptia
Luce vernans speciosa
turmas inter coelicas,
Cujus nos, Jesu benigne,
jam tuere precibus,
Ut cum ipsa te laudare
possimus per saecula.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeternum trinumque Deum
laudemus et unum,
Qui sibi Mariam
transvexit ad aethera sanctam.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Zosima claruit
Mira Dei gratia,
Cui nulla placuit
Mundi hujus gloria.

2. Puer mundum Zosimas
Et puerum exuit
Et leges sanctissimas
Monachorum induit.

3. Repentina vox divina
Sicut eum docuit,
Infra chorum monachorum
Salvatorem coluit.


4. Infra gregem sanctam legem.
Zosimas sic tenuit,
Quod priorem meliorem
Ibi nullum habuit.

5. Onus erat fratribus
Gratum, in nemoribus
Herbis atque floribus
Vivere radicibus,
Ut salvarent animas.

6. Ibat more solito
Per nemus abscondito,
Quando vidit subito
Plenus omni merito
Mulierem Zosimas.

Responsoria.

1. Post inventam feminam
Culpam flentem pristinam
Eremita graditur,
Respuens socium
Neminem mortalium
Sibi jungi patitur,



V. Senex currit,
sed illa levius
Praecucurrit
et multo citius.
2. Dei servus ad se redit,
Rationi mens obedit,
Pro Maria apud Deum
Se fatetur esse reum,
V. Verbo precis anxiae
Munus petit veniae.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In devotis precibus
Exsistens Aegyptia
Cum membris mortalibus
Jam petit coelestia.
2. Videns sursum dominam
Zosimas obstupuit
Et dediscens feminam
Monstrum esse placuit.
3. Dum ancilla Dei illa
Vidit senem dubium:
Dei plasma non phantasma
Sum, ait ad socium.

Responsoria.

4. Peccatorum ad exemplum
Intrare nequivi templum,
Ut peccantes per me discant,
Quod de malis resipiscant,
V. Mox veniae peto munus,
Quod non differt Deus unus.

### In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Veneremur
omnes Aegyptiam
Revertentem
ad coeli patriam,
Coeli fertur
cum sacris epulis
Carnalibus
soluta vinculis;
V. Haec peracto
carnali proelio
Sociatur
coeli collegio.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus est dignus
multis rex ille benignus,
Qui de morte piam
voluit servare Mariam.
2. Nobis esse bona
dignare, Maria, patrona,
Quod cum corde pari
tua festa vides venerari.
3. Ad te clamantes
pariter, Deus, et vigilantes
Fac illud petere,
quod scis tibi posse placere.
4. Victor et invictus
leo Christus sit benedictus,
Et nos psallentes
benedicat se venerantes.
5. Rectorem caeli
laudemus mente fideli,
Ut cum laude pia
nos adjuvet alma Maria.

Ad Benedictus.

A. Gloriosa Dei sponsa,
Quamvis modo sis absconsa
In sponsi tui thalamo,
Nos daemonis laesos hamo
Prece tua perpetuae
Sanitati restitue,
Nunquam, mater, sis oblita
Nos precantes in hac vita.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Deus ineffabilis,
Per omnia laudabilis,
Qui omnes, quos vivificas,
Miro modo mirificas,
Da, ut sancta oratio
Mariae sit placatio
Irae tuae pro omnibus
Laudi tuae adstantibus.
Vale, dulcis Aegyptia,
Aeterna fruens gloria.

Brev. ms. Theoderici saec. 14. Cod. Remen. 192 (208). — Die im Vorstehenden fehlenden Teile sind prosaisch.

## 58. De sancta Martha.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gesta Marthae gloriosa
   Pange, lingua, Domino,
Virgo fuit et famosa
   Sine ullo termino.

2. Claris orta natalibus
   Deo cara
Piis splendet operibus
   Non avara.

3. Deo vitae primordium
   Recta norma
Dicans sive medium
   Pari forma.

4. Virile contubernium
   Impolluta
Semper cavens ut gladium
   Mansit tuta.

5. Mundi, carnis illecebris
   Virtuosa
Calcatis vixit celebris
   Gratiosa.

Ad Magnificat.

A. Simplex fuit absque fraude
Angelorum digna laude
   In hac valle miseriae,
Pro corona, terra, plaude,
Pro concive, coelum, gaude
   In hac die laetitiae.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus creatorem,
Jesum, mundi salvatorem,
Qui Martham valde dilexit,
In hac die coelo vexit.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est Martha gloriosa
   Christo, patri pauperum,
Membris ejus fructuosa,
   Larga datrix munerum.

2. Cujus nutu, cujus cura
   Subsistit et regitur
Universa creatura,
   Ab hac Christus pascitur.

3. Quem sacra virgo lactavit
   Jacente cunabulis,
Martha magnum focillavit
   Cum suis discipulis.

Responsoria.

1. Exsultet coelum laudibus,
Resultet terra cantibus
   In Marthae natalitio,
Gratuletur in omnibus
Pro datis sibi partibus
   In hoc sacro solemnio,
V. Nam Marthae corpus penitus
Insignit terram, spiritus
   Sic coelum sine dubio.

2. Frugi forti femina
Sacra serit semina
   Dei verba,
Christi servis tegmina
Dedit atque famina
   Non acerba;
V. Per sacra spiramina
Sic convertit agmina
   Sat superba.

3. Haec in miris non defecit,
Sed in his valde profecit
   Dono ducis,
Aquam sacram dum haec jecit,
Vim draconis mox dejecit
   Valle trucis,

V. Plebi vinctum quem subjecit,
Cujus morte se refecit
Fructu crucis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Marthae soror est Maria
Magdalena, quae jugiter
Audiebat verba pia
Christi atque humiliter.

2. Martha vero ministrabat
Ipsi patri fidelium,
Pietatem exercebat
Utilitati omnium.

3. Sed clamans contra sororem
Ministrabat eminus,
Cujus partem meliorem
Tamen dicit Dominus.

Responsoria.

1. In Martha cibi parcitas
Et vestitus asperitas
Viguerunt,
Mentis, carnis integritas
Sensuumque frugalitas
Inierunt,
V. Verbi limata raritas,
Facti probata bonitas
Splenduerunt.

2. Digna fuit haec sanare
Morbum omnem et curare
Ab omni peste populum
Et a morte revocare
Jam defunctos et fugare
A pressis omnem zabulum,
V. Potens fuit praedicare
Dei verbum et vitare
Omne grave periculum.

3. Gaude, castrum Tarasconis,
Quod refulges tantis donis
Beatae Marthae gratia,
In tuis namque colonis
Magna fecit tam sermonis
Quam facti luculentia,

V. Ne sis expers rationis,
Hanc honora dignis donis
Exigente justitia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Harum fratrem suscitavit
Jesus piis precibus
Et a morte revocavit
Reddens eum sororibus.

2. Mira Christi potentia
Comprobatur,
Dum in plebis praesentia
Suscitatur.

3. Sic Christi beneficio
Relegatur
Sororum desolatio,
Quas solatur.

Responsoria.

1. Matris Dei socia
Martha fit egregia
Nutriendo
Nutritorem omnium
Et vitam mortalium
Appetendo,
V. Quarum amicitia
Nobis sit propitia
Protegendo.

2. Collaetentur adjacentes
Regiones et absentes,
Quae Marthae beneficia
Sunt expertae, cunctae gentes
Prope, longe existentes
Deo dicant Alleluja;
V. Nos condigne concinentes
Erigamus ad hanc mentes
Cum ingenti fiducia.

3. Sicut est haec hospitata
Christum, a quo est translata
Ad supernorum agmina,
Sic remissione data
Sua prece Deo grata
Nostra lota sint crimina,

V. Ut ita mente purgatā
Vita fruamur beata
Cum ipsa pia domina.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Jam lucis orto sidere
Sat valemus
In Marthae vita legere,
Quod servemus.

2. Quae hospitandi gratia
Facta grata
Jam quiescit in gloria
Exaltata.

3. Quem in sua saepe domo
Receptavit hilariter,
Verus Deus, verus homo
Hanc coelo vexit dulciter.

4. Quem Abraham obumbratum
Divino novit spiritu,
Illum haec jam humanatum
Vidit carnis intuitu.

5. Deum, Martha, deprecare
Pro fideli populo,
Ut illum velit salvare
In aeterno saeculo.

Ad Benedictus.

A. Ora pro infidelibus,
Ut illustratis cordibus
Sacrosancto pneumate
Pulsis procul erroribus
Induantur virtutibus
Sano fulti dogmate.

### In 2. Vesperis.

Alleluja.

Martha draconem ligavit
Et defunctum suscitavit
Divina potentia,
Infirmitates curavit,
Errores evacuavit
Ingenti constantia.

Ad Magnificat.

A. Pia Martha, intercede
Pro clero, ut coeli sede
Digno divina gratia
Facto Christi cohaerede
Angelorum semper aede
Sit in aeterna gloria.

Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 134. A. — Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Avenionen. s. n. B. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). C. — In 1. Noct. **A** 3, 1 lactabat A. — **R** 1, 8 terra A. — **R** 2, 5 femina A. — **R** 3, 2 perfecit A. — In 2. Noct. **R** 3, 8 Hanc fehlt A.

## 59. De sancto Martiano.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Felix exsulta Sanio,
Tam sancto dotata patre,
Sed plus intona jubilo,
Apta, data mirifice
Ossa tibi Martiani,
Ut duplicibus patribus
Auspicio et Castori
Jungeretur Martianus,
Ut non statim triplicatus
Rumperetur funiculus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt Martiani
Laeta solemnia,
Laude multiplici
Plaudat ecclesia.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Abbas sanctus et coelicus
Datur exemplar saeculi
Aptensibus Martianus
Vivens vita regulari.

2. Florem pudicitiae
Servans illibatum
Attigit eximiae
Vitae coelibatum.

3. Parentes prole carentes
Obtinuerunt precibus
Filium, qui esset haeres
Plus moribus quam opibus.

Responsoria.

1. Sub Benedicti regula
Mente profecit sedula,
Antra quaerit desertorum,
Ut expers sit peccatorum;
V. Bonam sortitus animam
Patris sequitur regulam,
Ejus sequens vestigia,
Mundi horrens fastigia.

2. Martianus puerulus
Deditus poenitentiae
Macerabat suum corpus
Per vota abstinentiae,
V. Vacans orationibus
Illecebras lasciviae
A se tollebat penitus.

3. Martianus Sanionus
Aegros multos sanos fecit,
Mortem tenens victor factus
Coelestia lucrefecit.
V. Ipse Christum sequens nudus
Cuncta mundi bona sprevit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Antra deserti petivit
Vir sanctus, a juventute
Jugum Domini portavit
Donec acta senectute.

2. Relictis patre et matre
Atque eorundem bonis,
Nil curavit temporale
Contentus solis divinis.

3. Pernox cum Christo proprium
Non possidebat lectulum,
Post lacrimarum fluvium
Vix humi dans corpusculum.

Responsoria.

1. Humili tectus cuculla
Monachorum Martianus
Sic mundi deliramenta
Et hostis lusit penitus,
V. Transit per temporalia
Omnibus bonis exutus,
Bona quaerit coelestia
Pauper, humilis, mendicus.

2. Virginitatis lilium
Illibatum conservavit,
Nihil possidens proprium
Corpus suum castigavit,
V. Dum etiam cilicium
In carne sua portavit,
Super nudum jacens humum
Sic interdum dormivit.

3. Beatus pauper spiritu
Nihil proprium possedit,
De divino sperat nutu,
Qui libens cuncta dimisit,
V. Humilitate praeditus
Pro fratribus mendicavit,
Omnibus fuit subditus
Sed caritate praefuit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Assiduus oratione
Basilicas visitabat,
Hos sequens professione,
His sociari debebat.

2. Christum mendicum mendicus
Patienter sequebatur,
Compatiens pauperibus
Cuncta impartiebatur.

3. Mortuum vivens suscitat,
Matri compassus viduae,
Filium vivum adsignat
Praemissa oratione.

Responsoria.

1. Pastor pastores visitat
Auspicium et Castorem,
Martianus hos salutat,
Hospitium ibi tandem
Elegit atque requiem.

V. Devoti religiosi
Sanctum suscipiunt abbam,
Participes sunt meriti,
Una ornant ecclesiam.

2. Matri viduae filium
Reddit vivum ex mortuis,
Luctum sequitur gaudium,
Spectaculum datur cunctis,
V. Gemitus et suspirium
Precesque devoti patris
Mortuum faciunt vivum.

3. Juxta lapidem positus
Martianus exspiravit,
Ab angelis sociatus
Coelos beatus conscendit;
V. Hos juvet suis precibus,
Quos sanguis Christi redemit,
Et ducat in coelestibus,
Quos fides et amor junxit.

## In Laudibus.

### Antiphonae.

1. Dominus in Martiano
Regnavit plenus decore,
Hunc proterit fortitudo
Praecinctum multa virtute.

2. Jubilate Deo, cives,
In gaudio, [omnis] terra,
Aptenses et Saniones,
Servite in laetia.

3. Deus, vide miseriam,
Deus, qui curas sedulo,
Animam vide miseram,
Ad te de luce vigilo.

4. Benedicite Domino,
Martiani miracula
Hunc clarum faciunt mundo
Per infinita saecula.

5. Laudate, coeli et terra,
Dominum, in suis sanctis
Qui facit mirabilia,
Hos coronans in excelsis.

### Ad Benedictus.

A. Transit pauper
ad regni solium,
Dux ad sceptrum,
victor ad praemium,
Mors in vitam,
labor in otium,
Praesens cedit
luctus in gaudium.

## In 2. Vesperis.

### Antiphonae.

1. Martianus puerulus
Erat decorus facie,
Pulchrior ipse moribus
Grataeque eloquentiae.

2. Parentes prole carentes
Puerum hunc impetrarunt
A Domino postulantes,
Hunc moribus instruxerunt.

3. Documentis artium
Eruditus sanctis
Transiit ad studium
Summae veritatis.

4. Ecclesiae frequentabat
Devote sacra limina
Pectorique recondebat
Ipse mandata divina.

5. Sanctorum imitabatur
Continue vestigia,
Devote contemplabatur
Aeterna coeli gaudia.

R. Ad ovile summi regis
Nos revoca, ductor gregis,
Martiane, confessorum
Consors, pater monachorum,
V. Et dirige per semitas,
Quibus videtur veritas.

### Ad Magnificat.

A. O speculum munditiae,
Carnis carens spurcitia,
Tuae colentes hodie
Migrationis gaudia
Transfer ad regnum gloriae
Post hujus vitae stadia.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 4 data sunt. — In 1. Noct. **A** 3, 3 quorum esset. — In 2. Noct. **R** 3, 8 Sola sed caritate. — In 3. Noct. **R** 1, 7 abbatem gegen Reim und Silbenzahl. — In 2. Vesp. **A** 2, 4 Eum moribus. — **A** 3, 3 Transit. — **A** 5, 3 Et devote.

## 60. In Revelatione ss. Mauritii, Exuperii et Candidi.

### In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Confortare, pugnans ecclesia,
Tibi grandis adest laetitia,
Thebaeorum felix militia
Morte cepit regna coelestia;
Grata nimis ista victoria
Laeta reddit horum solemnia.

Ad Magnificat.

A. O quam felix Thebaea legio,
Fulgens armis coelestis luminis,
Quae contempto mandato regio
Sui rubens colore sanguinis
Miro coelum replevit gaudio
Zelo passa superni luminis.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus concinendo
Regi saeculorum,
Jubilemus congaudendo
Palmae Thebaeorum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex Aegypti Thebis nata
Thebaeorum beata legio
Per baptismum post renata
Lucet orbi virtutum radio.

2. Zabdae verbis Heliae praesulis
Legionis insignes cunei
Peccatorum mundati maculis
Christianae subduntur fidei.

3. Caesar Romam hos vocavit
Ad regni praesidium,
Cum collega designavit
Ad partes rebellium.

Responsoria.

1. Fulget dies triumphi nobilis
Legionis Thebaicae,
Stirpe clarae, fide spectabilis,
Fama, gestis mirificae.
V. Ferro caesae pro Christi legibus,
In coelorum translatae sedibus.

2. Nutu Dei, praecepto Caesaris
Romam venit Thebaea legio,
Fulgens armis coelestis luminis,
Fide constans, fortis in proelio.
V. Mente Christo serviebat,
Caesari militia,
Fierique satagebat
Deo placens hostia.

3. Fana volens honorari,
Christi nomen abnegari,
Christianos trucidari
Rex scelestus praecipit,
V. Thebaeorum felix coetus
Non obedit, immo laetus
Mortem prius excipit.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sic in fide confirmantur
Papali colloquio,
Quod ab ea non mutantur
Morte vel supplicio.

2. Fit coelestis ex Thebaeo
Coetus voto compari,
Quae sunt Dei, reddens Deo,
Quae Caesaris, Caesari.

3. Hi virtute nobiles,
In armis et strenui,
Plus fide spectabiles,
Pro qua regnant mortui.

Responsoria.

1. Flagrabat in sanctis militibus
Gloriosus ardor martyrii,
Fervebatque fides in cordibus
Hortamentis sancti Mauritii;
V. Ex ardore patiendi
Colla dabant gladio,
Neci sese praeferendi
Fiebat contentio.

2. Arma tenent nec resistunt,
Ore silent, pede sistunt
Tot milites strenui,
Colla praebent, mortem petunt,
Terram serunt, coelum metunt
Propter Christum mortui,
V. Incitante sancto Mauritio,
Concordante toto consortio.

3. Cedris altis excisis Libani
Liquor sacer emicuit,
Quo fluenta creverunt Rhodani,
Vallis Agauna rubuit;
V. Rubet lictor, rubet telum,
Rubet terra, rubet caelum
Tot peremptorum sanguine.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ab Aegypto sunt translati
Verae vitis palmites
Et in coelo transplantati
Per regis satellites.

2. Bis decima decollatur,
Ut tota cohors pereat,
Sed plus ex hoc animatur,
Ut parem mortem subeat.

3. Ad lictores tandem laeti
Collis nudis properant,
Armis spretis poenam leti
Propter Christum tolerant.

Responsoria.

1. Thebaeorum sancta militia,
Reparata digna memoria,
Grandi pios replet laetitia,
Mira cunctis fulgens victoria.
V. Coelo rapto mortis supplicio
Victrix regnat adepto bravio.

2. Coeli congaudet curia
Thebaeorum victoriae,
Quos stravit regis furia,
Coronavit rex gloriae.
V. Caesos coeli tulerunt agmina
Laeta Christo canendo carmina.

3. Felix locus Agaunensis,
Tot sanctorum plenus reliquiis,
Quorum multis et immensis
Signis fulget, gaudet suffragiis,
V. Et insignis urbs Galliae,
Vienna vocata,
Sacro ducis militiae
Capite dotata.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes sanctae militiae
Thebaeae mundus intonat,
Ad augmentum laetitiae
Tuba coelestis resonat.

2. Hi prius ex militibus
Milites electi,
Post eum coeli regibus
Reges sunt effecti.

3. Miles dictus Victor praesagio,
Vere victor factus martyrio,
Thebaeorum fuit collegio
Junctus morte, junctus et praemio.

4. Sonus vocis
infantis mortui
Finem matris
imponit luctui.

5. Thebaeorum cuneus,
Deo carus moribus,
Candidus et rubeus,
Electus ex milibus.

Ad Benedictus.

A. Caesar dirus fervens ira
Caedi jubet caede dira
Coetus Thebaeorum,
Qui non cedunt fide freti,
Sed ad letum currunt laeti
Pro spe praemiorum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dux insignis Mauritius
Transit ad regni solium,
Magna septus militia,
Regnaturus felicius
Propter dictum consortium
Cum tam mira victoria.

Brev. ms. S. Mauritii Viennen. saec. 15. Cod. Chigian. D IV 59. A. — Brev. Viennense imp. Lugduni 1489. B. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. C. — Brev. S. Petri Gebennen. imp. Gebennae 1556. D. — Cod. Agaunen. 28 saec. 17. E. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 6 fehlt A; die ganze **A** fehlt C, ist prosaisch E. — Invit. 2 Regi sanctorum A. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Aegyptis A. — **A** 2, 1 Zabe A; Zabdae urbis C. — **A** 2, 2 insignis C. — **R** 1, 3 Ex stirpe A. — **R** 1, 5 legibus fehlt A. — **R** 2, 1 percepto B. — **R** 2, 3 luminis fehlt A. — **R** 3, 4 Rex celestis AB. — **R** 3, 7 excepit A; hierauf folgt in A als **V**: Sanguinis fluvius civitatem Dei laetificat. — In 2. Noct. **R** 1, 1 Fragrabat AC; in beatissimis martyribus ABC. — **R** 1, 7 Neci cele A. — **R** 3, 2 enituit A. — **R** 3, 5 rubet celum ABC. — **R** 3, 6 rubet coelum fehlt A. — In 3. Noct. **A** 2, 2 Ut chors [sic] tota etc. A. — **A** 2, 4 Ut parent A. — **R** 1 fehlt A. — **R** 2 Felix locus Agaunensis etc. A. — **R** 3 Coelesti [sic] congaudent curia etc. A. — In Laud. **A** 1, 4 resonet B. — **A** 3, 1 Victor sanctus A. — **A** 3, 2 fehlt A. — **R** 4, 1 sqq. Sonus votis infinitis mortui martyrum imponit luctum A. — **A** 5, 2 et moribus A. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 5 Propter ductum A.

## 61. De sancto Maximino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Insiste laudibus,
Aquensis civitas,
Deum magnificans
primatis gratia,
Per quem fons fidei
verbique veritas
Prius innotuit
tibi, Provincia.
Is carnis hodie
solutus fascia
Transfertur libere
per vitae semitas,
Ubi promittitur
sanctis haereditas,
Quibus in omnibus
Deus est omnia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Consonantes voce meli
Jubilemus Deo caeli,
Qui transvexit Maximinum
Ad coelestis aulae sinum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post ascensum Christi regis
Datur signum novae legis,
Dum per sacri linguas ignis
Sacer chorus fit insignis.

2. Hoc dum fragrat igne coetus,
Perit omnis mortis metus
Et Judaeis expedite
Praeconantur verba vitae.

3. Ex Judaeis credunt multi
Supernorum fide fulti,
Facti lucis amatores,
Propriorum contemptores.

Responsoria.

1. De sanctorum
vocatus numero
Maximinus
sacratur pontifex,
Christi jugum
ferens in humero,
Sacramenti
fidelis opifex,
Praedicandi
praeclarus artifex,
Prosperari
sciens in aspero.
V. Scimus, quod hi,
qui Deum diligunt,
Rebus bonis
adversas subigunt.

2. Qualis sit operans
patet in opere,
Nam fructus arborem
prodit vel praedicat,
Prius aggreditur
praesul id agere,
Quod se continuo
docturum indicat,
Et illud penitus
spernit et abdicat,
Quod Deo displicet
patratum temere;
V. Cujus enim
vita despicitur,
Et praedicatio
jure contemnitur.

3. O celebrem
viri memoriam,
Quae claruit
plena miraculis,
Huic Magdala
se dedit sociam
Obsequiis
et votis sedulis,
Mentem pascens
divinis ferculis,
Quae sitiens
erat justitiam.
V. Beatum comprobat
largitor gratiae,
Qui semper esurit
cibum justitiae.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Horum nullus
habebat proprium,
Sed gaudebant
usu communium,
Unam simul
gestantes animam
Curam mundi
ducebant infimam.

2. Crescebat igitur
credentum numerus,
Quos fontis typici
fundebat uterus,
Haerentes firmiter
in morum studio,
Proles ecclesiae
repletur gaudio.

3. Ut effectum
conferent sceleri,
Animarunt
plebem presbyteri
In levitae
Christi perniciem,
Contorquentes
cum saxis aciem.

Responsoria.

1. Coegit igitur
facta dispersio
Sanctum cum Magdala
se mari credere,
Ergo se protinus
tradunt navigio,
Ventis et fluctibus
utentes prospere,

Nam ipsum rogitant,
qui pestis pondere
Pressis discipulis
fuit praesidio;
V. Jussu verbi salutaris
Tranquillatur motus maris.

2. Applicantes
sancti Massiliam
Intrant urbem
navemque deserunt,
Ibi stultae
gentis perfidiam
Sanctitatis
exemplo conterunt,
Et dum verbum
salutis proferunt,
Multi currunt
ad Christi gratiam;
V. Nam quos praescit
internus arbiter,
Amat, regit
et salvat pariter.

3. In Aquensi comitatu
Sato salutis semine
Multos solvunt a reatu
Baptismi lotos flumine,
In fideli stantes statu
Sancto servante flamine;
V. Sancta quippe
conservat trinitas,
Quos in bonum
connectit unitas.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ergo pulsi
de Judae terminis
Gentes petunt
diversi numinis
Et delentes
doctrinam Stoicam
Praedicarunt
fidem catholicam.

2. Lustrantes igitur
regnorum moenia
In linguis variis
loquuntur varia,
Et quod in serie
verborum praedicant,
Firmant miraculis
et signis indicant.

3. Bis quina septies
virorum concio
Sermonis mittitur
in ministerio,
Ut, quod non poterat
patrum fragilitas,
Horum perficeret
pia sedulitas.

Responsoria.

1. Incessanter
divina praedicans
Rexit Aquensium
diu dioecesim,
Deo plebem
et loca dedicans
Et subortam
sugillans haeresim,
Deum et hominem
on esse indicans;
V. Nam quod Deus
et homo dicitur,
Unus esse
Christus asseritur.

2. Imminente
dilectae transitu
Adest Christi
vocantis visio,
Ut cui toto
servivit spiritu,
Foveatur
ejus solatio,
In immenso
sumatur ambitu;
V. O felix commercium,
o miranda praemia,
Cum pro temporalibus
redduntur coelestia.

3. Mausoleum
conditum nobili
Maximini
corpus occuluit,
In quo patet
figura sculptili,
Ubi flendo
lavari meruit,
Et super hoc
fundare studuit
Deo templum
cultu laudabili;

V. Cui enim
minus dimittitur,
Huic dimissor
minus diligitur.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Revelante
divino spiritu
Suo praesul
praescito transitu,
Supplex orat
in vitae termino,
Ut post mortem
regnet cum Domino.

2. Spiritali
plaudit laetitia
Nulla carnis
motus molestia,
Suas Deo
revelans semitas,
Cujus semper
consistit veritas.

3. Verae lucis
servans excubias
Oves Deo
commendat proprias,
Ne trahantur
a mundi turbine,
Quos baptismus
lavit a crimine.

4. Sicut uvam
cultor a vinea,
Sicut granum
sperat ab area,
Sic exspectans
imbrem serotinum
Benedixit
sacerdos Dominum.

5. Psallit corde,
psallit operibus,
Psallit ore
profusis precibus,
Suos Deo
commendans exitus,
Quem coelestis
laudat exercitus.

Ad Benedictus.

A. Juxta tumbam
beatae complicis,
Sicut sanctus
ipse praeceperat,
Collocatur
corpus pontificis
Intra sacrum,
quod praeparaverat;
Hic adversa
depellens superat,
Atri vires
frangens artificis,
Et per suum
juvamen apicis
Sanitatum
signis exuberat.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O benigne
primas Aquensium,
Cleri, plebis
doctor et domine,
Da virtutem,
succide vitium,
Serva tuos
ab omni crimine,
Ut subtracto
carnis spiramine
Transeamus
ad vitae gaudium
Contemplantes
patrem et filium
Conregnantem
cum sancto flamine.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 1061. A. — Brev. Aquense impr. Lugduni 1499. B. — Zugehörig die Hymnen: in Vesp.: Plaudat Aquensis concio; in Noct.: Jucundare Provincia; in Laud.: Chorus exsultans jubila.

## 62. De sancto Maximo.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ave, praesul gloriose,
Ave, sidus jam coeleste,
Decorans, Maxime, coelos
Nos guberna visens humum,
Quo laetemur triumphantes
Te patronum venerantes.

2. Dum templi saxis
oneratus pergeret axis
Se Satan objecit,
quem Maximus inde rejecit.

3. Vita privatus
morsu canis atque necatus
Praesulis hic dextra
sanatur et intus et extra.

4. Sacerdos Christi Maxime,
Condignus tanto nomine,
Rogamus te per gratiam,
Quam meruisti maximam,
Ut nos a malis omnibus
Tuis defendas precibus.

5. A bove prostratum
reddit praesul reparatum;
Maxime, devota
servorum suscipe vota.

Ad Magnificat.

A. Ave, gemma sacerdotum,
Ave, sidus aureum,
Hierusalem inter cives
refulgens ut lucifer,
Audi preces, audi vota,
suscipe praeconia.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur praesulum rex
In saeculorum saecula,
Praesuli qui Maximo
contulit coelestia.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut nova lux mundo
procedens stemmate claro
Virtutum titulis
Maximus enituit.

2. Indolis egregiae
puer ad sublimia vitae
Praemia tendebat,
vas deitatis erat.

3. Monachus effectus
humilis fuit atque modestus,
Ordine posterior,
sed probitate prior.

Responsoria.

1. Pater almus, sanctitate
Maximus et nomine,
Velut jubar matutinum
Ortus stirpe prodiit,
Gemma fulsit sacerdotum
virtutum praeconiis,
V. Quia mundi sprevit cuncta
ambiens coelestia.

2. Christi puer literarum
traditus ad studia,
Liberali sine fastu
floruit scientia,
V. Absque mora eruditus
dono sancti spiritus.

3. Praesul non sponte
Regensi factus in urbe,
Profuit exemplo
multis simul et documento,
V. Congrua subjectis
praebens alimenta salutis.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post precibus fratrum
   curam subiens animarum,
   Quod verbis docuit,
   moribus exhibuit.
2. Ad signum patris
   subito phantastica navis
   Disparens fragilem
   prodidit artificem.
3. Pro vitae meritis
   electus pastor ovilis
   Ut grave sumpsit onus
   pontificale decus.

Responsoria.

1. Sancti vitam zelans hostis
   livore multiplici,
   Igneus ut draco ejus
   se injecit oculis,
   Sed expulsus signo crucis
   illico disparuit;

V. Exterreri forma truci
   sanctum daemon voluit.

2. Lux sanctae fidei,
   tuba legis, praeco salutis,
   Maximus extemplo
   reparavit lumina caeco,

V. Cum crucis auxilio,
   gessit quam corde benigno.

3. Virtutum signis
   resplendens pastor herilis
   Reddidit incolumes
   fidei medicamine plures;

V. Vir pius et mitis
   rivos stillans pietatis
   Undique debilibus
   mellifluis precibus.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Forma gregis factus
   macerabat corporis artus,
   Tendens excubias
   hostis ad insidias.
2. Pontificis precibus
   puer exsurgit redivivus,
   Gloria, Christe, tibi,
   vox resonat populi.
3. Ad laudem triadis
   sancti caro mortua patris
   Defunctam vitae
   restituit propriae.

Responsoria.

1. Hic vir apostolicus,
   regis coelestis amicus,
   Restituit propriae
   defuncta cadavera vitae,

V. Auctori vitae
   quia mens adhaesit amore.

2. O sublime viri
   meritum, cui munere Christi
   Effera vis mortis
   dedit truculentus et hostis;

V. Conteritur serpens,
   paret sibi tartarus horrens.

3. Ad patriam sanctus
   Domino miserante vocatus,
   Pro grege commisso
   fundens oramina Christo
   Exsilium liquit
   et coeli regna petivit,

V. Pace data propriis
   fruiturus pace perenni.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus praesul in superno
   Maximus palatio
   Regem Christum in decore
   semper gaudet cernere.
2. Pura mente quia Deo
   servivit fideliter,
   Portas ejus introire
   meruit feliciter.
3. Sub tuarum, rex aeterne,
   alarum velamine
   Hic exsultat, coelo tua
   quem suscepit dextera.

4. Inter Christi sacerdotes
refulgens ut lucifer
Creatorem Dei servus
benedixit Maximus.

5. Omnis aetas, omnis sexus
omnis atque spiritus
Laudent Deum cum beato
confessore Maximo.

Ad Benedictus.

A. Stella fulgens matutina
inter coeli lumina,
Veri solis illustrata,
o Maxime, gloria,
Residentes mortis umbra
Adae culpa visita
Lucem eis imperando
et pacis remedia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gemma Christi sacerdotum
Maxime perlucida,
Cum Cherubim Dei mira
qui polles scientia,
Fac, ut nostrae mentes illo
tangantur incendio,
Quo cremaris semper dulce
Seraphim cum agmine.

Brev. ms. Morinense saec. 15. Cod. Parisin. 17997. A. — Brev. ms. Morinense(?) saec. 15. Cod. Atrebaten 393. B. — In 1. Vesp. A 4, 5 omnibus fehlt A. — Zugehörige Hymnen in 1. Vesp.: Gaude, Sion hymnidica, in Laud.: Christe, mundi pro salute.

## 63. De ss. Maximo et Venerando.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, fraterna
martyrum progenies,
Quam saeclo geminam
protulit una dies;
Avete, Christi
gloriosi martyres,
Quos aeque passos
aequa fovet requies
Vos qui supernam
jam tenetis gloriam
Nobis precamur
impetrate veniam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum,
Qui sanctorum martyrum
Virtus est et praemium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maximus et Venerandus
nobiles in Brixia
Patre Magno sunt exorti,
matre dicta Tassia.

2. Haec in pace post [sepulta]
diem clausit ultimum,
Magnus ense triumphavit
consors factus martyrum.

3. Ut orbati sunt utrisque
filii parentibus,
Rerum totas dant suarum
copias egentibus.

4. Erogato, quod habebant,
Romae visunt moenia
Et beati perfruuntur
Damasi praesentia.

5. Qui beatum consecravit
Maximum pontificem,
Dans levitae Venerando
fungi ministerio.

6. Literarum praepollentes
   et virtutum studio,
   Mox doctrinae fiunt apti
   simul et martyrio.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dilaceratis
   atque caesis fratribus
   Proconsul parci
   praecepit nolentibus.
2. Mori nolebant
   nec dabatur optio,
   Ut immolarent
   Deo Vestorosio.
3. Jubet litari
   judex, illi renuunt
   Atque deos omni
   posse carere probant.
4. Volens ulcisci
   judex Vestorosium
   Jactari sanctos
   jussit in incendium.
5. Assumptis igne
   multis et Vitalio
   Sanctorum vestes
   nec notavit ustio.
6. Franguntur rotae,
   mitigantur bestiae,
   Divino sancti
   proteguntur munere.

### In 3. Nocturno.

Prosellus.

1. Martyrum,
   Christe, victoria
   Suscipe
   nostra praeconia.
2. Tibi jungas
   nos in gloria
   Dulcis fratrum
   haec memoria.
3. Qui pro tui
   nominis potentia
   Obtruncata
   sua ferunt capita
4. Ad tumulandum.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Accelerant sancti
   patefacto pariete claustri,
   Coelitus ut dictum
   conficiatur iter.
2. Vita tribus rediit,
   lumen tribus, et duo claudi.
   Leprosi totidem
   tunc valuere per hos.
3. Sequana suspenso
   fit eisdem pervia cursu,
   Esse probat liquidos
   morte satelles aquas.
4. Roscidus et ignis,
   pavet hos lea visque leonis,
   Exsilit utraque mens,
   vita pericla carens.
5. Dum sacri gemini
   loquerentur ad ora Sabini
   Unica vox geminos
   purgat energumenos.

Ad Benedictus.

A. Destinat hos ad nos
   Latio Deus hoste patronos,
   Cordis et hospitium
   praeripiamus eos.
   Ad hos hi fugere suos,
   fugiamus ad ipsos,
   Ut, quod sint, simus;
   ambo juvent prece nos.

Brev. ms. Fontanellense saec. 13. Cod. Rotomagen. 208. — Acta SS. Maji VI, 35 enthalten die A ad Magn. und aufserdem die folgende [ad Laudes], die in unserer Hs. fehlt:

O quam jucunda martyrum germanitas,
Quam vera consecravit Christi caritas!
O quam beata fovet illos requies,
Quos hic afflixit poenarum congeries!
Per vos precamur, coeli luminaria,
Olivae binae, laudis sacrificia,
Aeternae lucis mereamur gaudia.

### 64. De sancto Mellono.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, Sion,
exsultans jubila
Tui colens
patris solemnia,
Verbo cujus
fugat lux nubila,
Fides crescit,
cedunt daemonia.

2. Vita cujus
in tantum claruit
Virtutibus
nec non miraculis,
Ut et caecis
lumen restituit,
Claudis gressum,
fidem incredulis.

3. Parentibus
claris progenitus
Christi praesul
sed infidelibus,
Fide clarus
fulsit divinitus
Velut stella
relucens gentibus.

4. Salvatoris
igitur gratia
Baptizatus
et in Normannia
Primas factus
fugat daemonia,
Cedunt morbi,
crescit ecclesia.

5. O Mellone,
pastor egregie,
Plebis tutor,
scutum ecclesiae,
Nos adstantes
tuae memoriae
Duc ad vitam
coelestis patriae.

R. Mellone, praesul inclite,
Precum effunde munera
Pro te precante populo,
Per te vitae praeteritae
Mala vitantes prospera
Sequamur in hoc saeculo,
V. Ut te virtute comite
Soluto carnis vinculo
Recto sequentes tramite
Coeli fruamur epulo.

Ad Magnificat.

A. O Mellone,
jubar aethereum,
Pie pastor,
plebis praesidium,
Roga Jesum,
qui tam idoneum
Te perfecit
in sacerdotium,
Ut nos per te
sanctorum cuneum
Consequamur
post hoc exsilium.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Corde mundo laetabundo
Christo demus praeconia,
Cujus dono sunt Mellono
Collata coeli gaudia.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir,
Mellonus pontifex,
Non infima
natus ex sobole,
Praeelectus
a Deo famulus,
Civis fuit
urbis Cardiolae.

2. Qui tributo
Romano principe
Persoluto
missus ad propria,
Verbo credens
beati Stephani
Papae, cessit
ab idolatria.

3. Tandem armis
instructus fidei
Sublimatus
ad sacerdotium
In amore
regis siderei
Flagrans omne
vitat contagium.

Responsoria.

1. Haec est dies
digna praeconio,
Qua relicto
carnis exsilio
Christi praesul
Christo cum gaudio
Jam fruitur
sine fastidio,

V. Jam sanctorum
junctus collegio
Sui cursus
completo stadio.

2. Dum missarum
semel solemnia
Celebraret,
quidam apparuit
Angelus in
altaris alia
Parte sibi-
que virgam tribuit;

V. O praesulem
dignum memoria,
Vita cujus
in tantum claruit.

3. Adolescens
quidam praecordius
Domum scandens,
ut sancti praesulis
Exaudiret
vocem liberius
Praedicantis
pacem in populis,
Qui collapsus
ruit inferius
Aliorum
impulsus stimulis;

V. Hunc defunctum
pastor egregius
Suscitavit
a mortis vinculis.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quidam a se
pedem diviserat
Cum bipenni
Lupillus nomine,
Quem Melloni
prece recuperat
Credens plebis
cum multitudine.

2. Veronica,
orba luminibus
Lacrimando
pro viro mortuo,
Provoluta
Melloni pedibus
Cum Lupillo
sana fit denuo.

3. Rotomagum
volenti pergere
Apparuit
Satanas famulo
Dei, minans
ei inflectere
Vellet iter
ab illo populo;
Quem devictum
fecit discedere
Christi servus
crucis signaculo.

Responsoria.

1. Erat quidam
plenus daemonio,
Qui Mellono
occurrens obvius
Mediante
crucis auxilio
Sanitati
datur celerius;
V. Baptizari
poscit cum gaudio
Basuinus
vidensque filius.

2. Dum Quirinus
contractus genibus
Sic fugatum
vidit daemonium,
Provolutus
Melloni pedibus
Implorabat
ejus auxilium,
Qui Melloni
sanatus precibus
Incolumis
adit hospitium;
V. Ille spretis
deorum cultibus
Confitetur
Mariae filium.

3. Annis octo
quidam officium
Amiserat
membrorum omnium,
Dum Melloni
poscens auxilium
Sanitatis
sumpsit remedium,
V. Laetus Dei
collaudans filium
Properavit
ad baptisterium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum in nocte
natalis Domini
Celebraret
pastor egregius,
Super caput
ejus enituit
Jubar quoddam
sole lucidius.

2. Christi praesul
trecentis vicibus
Die noctu-
que flectens genua,
Insistebat
orationibus
Caritate
fervens continua.

3. Quodam die
panem pauperibus
Praebens manum
cujusdam aridam
Suis tangens
Mellonus manibus
Dei nutu
reddidit validam.

Responsoria.

1. Macerabat
corpus jejuniis,
Genu flexo
trecentis vicibus
Per diem et
noctem, vigiliis
Insistens et
orationibus,
Sic divinis
vacans officiis
Carnem domat
multis laboribus,
V. Fatigatus
paucis cibariis
Utebatur
contentus talibus.

2. Dum Mellonus
jam fessus senio
Vigilaret
orans pro gentibus,
Confortari
coelesti nuntio
Meruit, hunc
affante talibus:
O Mellone,
jam tua talio
Parata est
cum coeli civibus,
V. In stadio
certans pro bravio
Subjecisti
mundum sub pedibus.

3. Per ipsius suffragia
Multis confertur gratia,
Caecus videns efficitur,
Surdis auditus redditur
Et debilis quisque
sospes regreditur.
V. *Alternatim ruunt languidi, consequi cupientes data per eum benificia.*

Prosa.

1. Sospitati dat Mellonus
Dolores languentium,
Doctor bonus et patronus
Fit Rotomagensium.

2. Relevavit a defunctis
defunctum Praecordium,
Caecis, mutis, aegris cunctis
Impendens auxilium.

3. Fidem firmat et infirmat
Errores gentilium,
Sic expleta vitae meta
Migravit ad gaudium.

4. Ergo laudes dent Mellono
Voces jubilantium,
Nam qui corde poscit bono
Ejus patrocinium,
Sospes regreditur.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus Dei
praesul innumeris
Coruscabat
mundo miraculis,
Victum domat
auctorem sceleris,
Ecclesiam
fundat in populis.

2. Ejus erat
cibus de hordeo
Panis factus
junctus oleribus,
Aqua potus,
cingulo ferreo
Stringebatur
caro sub vestibus.

3. Morabatur
hic solo corpore,
Jungebatur
mens coeli civibus,
Quod docebat,
complebat opere,
Suos actus
ornans virtutibus.

4. Confirmabat
corda fidelium
Veritatis
verbo radicitus,

Exstirpando
legem gentilium,
Fidem rectam
inserens coelitus.

5. Aeger morbi
cujusque generis
Postulavit
ejus suffragia
In tantum,
ut felix prae ceteris
Tunc fieret
illa provincia.

Ad Benedictus.

A. Archipraesul
Mellonus nimio
Prae labore
fessus et senio
Viam carnis
sequens, exsilio
Mundi spreto,
jam contubernio
Confessorum
junctus pro praemio
Christum
videt in coeli gaudio.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pastor humilium,
Medela languentium,
Lima pravitatis,
Moestorum solatium,
Fidei praesidium,
Doctor veritatis,
Transfer nos ad gaudium,
In quo Dei filium
Vides cum beatis.

### Per Octavam.

Antiphonae.

1. O Mellone,
lucerna praesulum,
Morum decus,
virtutum speculum,
Te rogantem
exaudi populum,
Ut post hujus
vitae curriculum
Consequamur
coeleste pabulum.

2. O Mellone,
praesul magnificae
Sanctitatis
et lux ecclesiae,
Hostes nostros
a nobis ejice,
De commissis
dans locum veniae.

3. O Mellone,
plebis praesidium,
Qui Lupillum
sanasti saucium,
Te precamur
affectu cordium
Pro salute
te postulantium.

4. O Mellone,
primas Normanniae,
Qui dedisti
lucem Veronicae,
Te rogamus,
clementer adspice
Nosque tuis
precibus effice
Participes
lucis angelicae.

5. O Mellone,
cujus imperio
Rothi cessit
fallax illusio,
Pro praesenti
roga collegio,
Ne nos Christus
pro nostro vitio
Gehennali
tradat supplicio.

6. O Mellone,
cujus praesentia
Morbos sanat,
fugat daemonia,

Destitutos
in hac miseria
Tua prece
transfer ad gaudia,
Ubi Christum
vides in gloria.

7. O Mellone,
qui tot miraculis
Claruisti
morumque titulis,
Nobis tuis
succurre famulis
A criminum
nos solvens vinculis.

8. O consolator pauperum,
Mellone, tuis precibus
Auge virtutum numerum
Te deprecantum cordibus,
Qui tot a labe scelerum
Et immundis spiritibus
Prece eripuisti.

Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII⁰ 20. A. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 201. B. — Brev. Rotomagense imp. Rotomagi 1491. C. — Prosa 2, 1 Revelavit A. — Ad Bened. **A**, 6 frequens exsilio A, secans exsilio B. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** de communi A. — Per Octav **AA** fehlen AC.

## 65. De sancto Meneleo.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem supremum
trinum veneremur et unum,
Qui veram sancto
vitam tribuit Meneleo.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Parentum prolem inclitam
Sanctus Meneleus suam
Honestavit meritorum
Et multis signis virtutum.

2. Relicto patre et matre
Viarum Dei amore
Magna gratiae merita
Morum ornavit doctrina.

3. Innocentis vitae custos
Conjugii respuit nodos,
Et castus subarrhat castam
Sensam vocabulo sponsam.

4. Dominicae visionis
Vocem audiens fidelis
Andegavos linquit fines,
Arvernenses quaerit sedes.

5. Susceptas a Theofredo,
Magnae sanctitatis viro,
Sui voti causas monstrat
Et salutis vias captat.

6. Congregationi superum
Hunc sociat Dei virum
Eudo abbas inclitus,
Gratia qui Dei plenus.

Responsoria.

1. Ortus magnorum
clara de stirpe virorum
Claruit eximius
cultor Christi Meneleus,
V. Nobilitate cluens
morum probitate refulsit.

2. Septennis pueri
pia mens famulans deitati,
O res miranda,
patrem matremque reliquit,
V. Jam tunc, Christe Deus,
tua jussa sequens Meneleus.

3. Diro carnalis
cruciatus verbere patris
Perstitit infractus
divino flamine tactus,

V. Quamvis imbellis
nullis cedendo flagellis.

4. Illecebras carnis
viri subdens rationis
Conjugis amplexus
celebris sprevit Meneleus,
V. Ut liber Christo
serviret pectore casto.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Angelico jussu discit,
Quod Deus facere vellet
Domum sibi complacitam,
Orationi congruam.

2. Terroris non curans minas
Ore Baronti profusas,
Invictus miles perstitit,
Catervas militum fregit.

3. Pro responsis sancti viri
Tristis animus Baronti,
Evaginat ensem secus,
Quem perdit caecus, contractus.

4. Cognita comissi culpa
Barontus promittit vota,
Dehinc vitam emendare
Et Dei virum dotare.

5. Arvernensis episcopus,
Beatus Eusebius,
Theofredus, abbas felix,
Hunc consecrant donis sanctis.

6. Clericatus officium
Sanctus Meneleus dignum
A sanctis suscepit viris,
Omni honore condignis.

Responsoria.

1. Christum mente gerens
et gressibus ejus inhaerens
Terrea postposuit
coelestia sola petivit,
V. Flagrans divinae
speciei prorsus amore.

2. Angelus aetherea
splendens directus ab aula
Alloquitur sanctum
repetendo ter Meneleum,
V. Pandens secessum
divinis cultibus aptum.

3. Princeps insanus
turbatus mente Barontus
Desipit amissae
deflens dispendia natae,
V. Quam tibi, Christe, tuus
lucratus erat Meneleus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Athleta fortis, Menelee,
Precamur feras preces
Nostras super sidera,
Quo mereamur adipisci
Dei dona te favente
Per aeterna saecula.

Responsoria.

1. Missus ab aetherea
coelestis nuntius aula
Sollicitum sancti
mentem solidat Menelei,
V. Pandens secessum
divinis cultibus aptum.

2. Inclite confessor
Christi, Menelee beate,
Nostra piis precibus
dele delicta, rogamus,
V. Ut Christo tecum
laeti sociemur in aevum.

3. Post consummatum
regali tramite cursum
Coelo susceptus
regnat per saecla beatus,
V. Aeterna vita
summa mercede recepta.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gaudeat in caelis
chorus et plebs cuncta fidelis,
Cantica digna Deo
pro sancto dans Meleneo,
Qui bene ditatus
regnat super astra locatus.

2. Nexibus uxoris
praeponens lucra pudoris,
Se Domino vovit,
cui virgo vivere vovit.

3. Corpore dum fragili
certaret mente virili
Terrea calcando,
divinis invigilando,
Angelus, ut solitum,
reddit de fine peritum.

4. Discipulos mane
vocat et te, Saviniane,
Ne ruat in mortem,
dixit, tibi mando cohortem,
Sic Deus ipse poli
mandavit, linquere noli.

5. Fratribus hortatis
sumptoque cibo pietatis
Inquit: adesto, Deus,
venio tuus en Meneleus;
Viscera tunc finit,
et ad aethera spiritus ivit.

Ad Benedictus.

A. O pater insignis,
virtutis et inclite signis,
O sacer et Christi
decus o, qui virgo fuisti,
Nos tibi devotos
* * * * * *
Atque frui vita
coeli, Menelee, cupita.

Brev. ms. Camiliacense saec. 15. Cod. Parisin. 1278. — In 1. Vesp. ad Magn. befinden sich in der Hs. nur die Worte: Exsultet omnium; die vollständige **A** dieses Anfangs findet sich weder an dieser Stelle noch im Verlauf des Officiums. — In 1. Noct. **A** 2, 3 gratia veritate Hs. — **A** 3, 4 Sensum Hs.; die Braut hiefs der Legende zufolge Sensa; sponsam fehlt Hs. — **A** 6, 2 verum. — **R** 2, 1 pueris. — **R** 3, 6 credendo. — **A** 4, 3 Conjugis ample Hs. — In 2. Noct. **A** 1, 1 dixit. — **A** 2, 4 militum ergänzt. — **A** 3, 2 Tristis est animus. — **A** 3, 4 Que perdit secus contractus. — **A** 4, 3 vitam fehlt, emendando. — **A** 4, 4 datare. — **A** 5, 4 consecravit. — **A** 6, 1 Clarificatus officium. — **A** 6, 4 condignus gegen den Reim. — **R** 1, 4 petiit. — **A** 1, 6 spei prorsus. — **R** 2, 3 sanctum fehlt. — **R** 2, 4 ter repetendo. — **R** 2, 5 se sessum. — **R** 3, 1 Princeps in fanis. — **R** 3, 3 Descipit. — **R** 3, 4 efluens stipendia. — **R** 4 prosaisch. — In Laud. **A** 2, 2 proponens. — **A** 4, 2 te sua in mane. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** prosaisch.

## 66. De sancto Mitrio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Mitrius nunc exaltatus
In coelis regnat beatus
Fruens jucunda mente,
Nam Christi athleta fortis
Sitiens calicem mortis
Currit illuc non lente.

2. Jugum Dei et onera
In prole fulgent libera
Illustrium Graecorum,
Spernens solum cum genere
Vadit post Christum propere
Ad sinum beatorum.

3. Prudens virtutes coluit,
Unde coli promeruit
In vita sempiterna,

Habens in Deo cor ratum
Gaudebat se confirmatum
In gloria superna.

4. Assumptus jam super caelos
Laudabiles canit melos
In coelorum civibus,
Nam exutus ab onere
Sursum fertur in aethere
Ornatus virtutibus.

5. Oremus omnes Mitrium
Nec cessent ora hominum
Precare conditorem,
Nam, dum Mitrio militi
Sumus laudibus dediti,
Deo damus honorem.

Ad Magnificat.

A. O felix urbs Aquensium,
Praeclara, adjacentium
Tu digna laude gentium,
Mereris nominari,
Nam coeli grata colonis,
Martyrum aucta coronis
Variisque freta donis
Diceris illustrari;
In te fulget Mitrius inclitus,
In te jacet placide conditus,
Tuus ergo exsultet spiritus
In Deo salutari.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeternum trinumque Deum
laudemus et unum,
Qui sanctum Mitrium
transvexit in aethera sursum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir beatus gloriae
Cum sanctis fructum petit,
Qui in via nequitiae
Peccatorum non stetit.

2. Apprehendens disciplinam
Servivit in timore
Regenti machinam trinam,
Exsultans cum tremore.

3. Ad nihilum est redactus
Malignus et deceptor,
Dum Christus sancto est factus
Gloria et susceptor.

Responsoria.

1. Mitrius clara veterum
Stirpe ortus Graecorum,
Sublimitate procerum
Fulsit ac senatorum,
Quos claritate operum
Illustravit ac morum.
V. Hic zelo tractus superum
Mundum reliquit miserum
Fortunamque suorum.

2. Ad longinqua vir nobilis
Peregrinus migravit
Provinciamque fertilis
Incola adoptavit,
Ubi sator perutilis
Virtutes seminavit.
V. Aquis degens vir humilis,
Miraculis mirabilis,
Coelitus corruscavit.

3. Jugo crudeli subjectus
Monstrat patientiam
Opprobriisque despectus
Nec causat injuriam,
Nam vicit coelo protectus
Tyranni saevitiam.
V. Verbis ac minis effectus,
In Deum semper erectus
Praetendit laetitiam.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocans Deum ferventer
In tribulatione,
Exauditus est clementer
In sua passione.

2. Scuto bonae voluntatis
Hunc Dominus protexit
Et per viam aequitatis
Introire direxit.

3. Ab angelis paulominus
Mitrium minuisti,
Super opera eminus
Ipsum constituisti.

Responsoria.

1. Custos vineae Mitrius
Durum patitur aemulum
Et insidiatorem,
Illati furti nescius
Levat ad Deum oculum
Innocentis tutorem;
V. Auditur ergo citius,
Dum palmes per miraculum
Uvas fert supra morem.

2. Clarus plebis exhortator
Salutem adnuntiavit
Veritatisque lucem,
Fervidus Christi amator,
Quem caritas animavit,
Ut ferret ejus crucem,
V. Rectus quoque imitator
Semetipsum abnegavit
Secutus Jesum ducem.

3. Bonum certamen certavit,
Passus non victus superans
Tormentum malitiae,
Cursum vitae consummavit,
Cursu agili properans
Ad bravium gloriae;
V. Fidem Christi hic servavit,
Repositam desiderans
Coronam justitiae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Justus cultor justitiae
Vitae luxit exemplo,
Cujus sanctitas hodie
Recolitur in templo.

2. Ingressus tabernaculum
Domini requiescit,
Ubi aeternum speculum
Sanctis semper clarescit.

3. Tua, Domine, virtute
Mitrius laetabitur
Et gloria cum virtute
Victor coronabitur.

Responsoria.

1. Servus prudens,
fidelis probatus,
Supra multa
nunc constituitur,
Vir illustris
clementer vocatus
Coelestia
dives ingreditur;
V. Sic meretur
Mitrius beatus,
In talento
juste operatus,
Dum ad summa
digne provehitur.

2. Assumptus
cum exsultatione
Laetatur
in sanctorum agmine,
Qui in mundi
tribulatione
Lavit stolam
in Christi sanguine;
V. Hic ereptus
de temptatione
Gloriosa
gaudet visione
Deitatis
amictus lumine.

3. Gemma coeli,
decus Aquensium,
Mitri sancte,
pro tuis precare,
Cura morbos,
abole vitium,
Tolle pestes,
festina juvare;
V. Hostem procul
repelle noxium,
Nobis Deum,
redde propitium,
Fac, ad eum
cuncta adspirare.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus Mitrius proelia
Adversus mundi gravia
Se virtute firmavit,
In coelesti militia
Post devicta supplicia
Ut Dominus regnavit.

2. In laetitia servire
Et cum sanctis introire
Corda vestra parate,
Choro juncti psallentium
In hymnis confitentium
Mitrio jubilate.

3. In terra manens deserta
Vana fugit et incerta,
Quae mundus offert reus,
In te sitivit anima
Devotione intima
Vigilans ad te, Deus.

4. Cuncta opera Domini,
Ejus immenso nomini
Laudes simul dicite,
Beato quoque martyri,
Sacerdotes et ceteri,
Semper benedicite.

5. Reges terrae et populi
Atque rectores saeculi,
Alumnum patrem luminum
Una cum sancto Mitrio
Adunato collegio
Nunc laudate Dominum.

Ad Benedictus.

A. O Mitri, martyr strenue,
Imitatus assidue
Christum, quem dilexisti,
Aspernatus progeniem
Propter coelestem requiem
Ad ignota fugisti,
Molestias et languores,
Contumelias, terrores,
Mortem tandem subisti.
Eja ergo, miles Christi,
Implora virtutes lapsis,
Duc eos per viam pacis,
Quo felix pervenisti.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet jam coelestis
Concio sanctorum,
Fidelium terrestris
Turba populorum
Promat laetitiam,
En Mitrius hodie
Certans in stadio
Cum palma victoriae
Virtutis brachio
Fecit potentiam;
O Martyr potens, fortis,
Scandens super alta,
Tuos post casum mortis
Supplices exalta
Ad coeli gloriam.

Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1526. B. — In 1. Vesp. **A** 2, 4 solium A. — **A** 3, 5 Gaudet A. — In 2. Noct. **R** 3, 3 Tormentorum A. — In Laud. **A** 4, 2 Ejus fehlt A. —

## 67. De sancto Moderanno.

### In 1. Vesperis.

R. Plebs fidelis et devota,
Laeta voce, mente tota
Tanti patris Moderanni
Praeveni solemnia,

V. Clarus exstat parentibus,
Sed clarior virtutibus
Comes, abbas, pontifex.

Ad Magnificat.

A. O exaltatus humilis,
[Gratia et] natura,

Praesul, abbas, laudabilis
Utraque praelatura,
O pater Moderanne
Ac semper venerande,
Sit tibi gregis cura.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jubilemus Domino
Pro Moderanno praesule,
Plebs cujus cum gaudio
Laudes solvat assidue.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praesul sedit in solio
Et mansit in consilio
Legis Dei altissimi.
2. Rector Udae statuitur
Et praedicator mittitur
Ad Berceti confinia.
3. Quo nunc loco Moderannus
Dormit sic suaviter.

Responsoria.

1. Sanctus praesul Moderannus
A Theobaldo comite
Carnis originem duxit
Redonensi propagine;
V. Huic, antequam nascitur
Et pater proficiscitur,
Providetur de nomine.
2. Res miranda et stupenda
Fibris audientium,
Puer clamat atque vetat
Patri adulterium;
V. Hic manens in Britannia
Suum in Jerosolyma
Patrem cernit per somnium.
3. Christus surgens a mortuis
Pergit ut peregrinus,
Moestis suis discipulis
Jungit se et fit nuntius,
V. Cognoverunt Dominum
In fractione panis,
Hic patrem proselytum
Post intellectum matris.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Moderannum sanctissimum
Libantem sacrificium
Dominus exaudivit.
2. Mane, die ac vespere
Corde, voce et opere
Orat ad Deum suum.
3. Ex ore hujus parvuli
Et primo ictu oculi
Ignotus pater scitur.

Responsoria.

1. Gratulatur et laetatur
Civitas Redonensium,
Veneratur et miratur
Horum trinum consortium;
V. Puer ab his educatur
Atque plene informatur
Ad Dei obsequium.
2. Praesul futurus Domini
Forma crescit et moribus
Et Christi servit nomini
Suis praefectus civibus;
V. Sanctorum reliquias
Et sanctas [exuvias]
Totis colit affectibus.
3. Novus Berceti incola
Novum produxit rivulum,
Dum tibi fert deicola
Ipse sancte colliculum,
V. Hospes manens ad ilicem
Trinum vocans opificem
Futurus parat poculum.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. De solio Redonensi
Ad montem Berceti
Hic passer transmigrat.

2. In monte sancto habitat
Et Dominum glorificat
Dei servans mandata.

3. Praeventus in infantia
In gratiarum copia
Honore coronatur.

Responsoria.

1. Dum pera cum reliquiis
Ramus mittit alium,
Mora illa mirabilis
Patri monstrat hospitium,
V. Reliquit mitrae gratiam
Et regionem propriam
Ad Berceti obsequium.

2. Largitur rex antistiti
Berceti circumfinia,
Quae in sancti Remigii
Praesul vertit memoria;
V. Rex mortuus de lectulo
Surgit, obedit continuo
Confirmans privilegia.

3. Cedit pontificatui,
Cedit solio proprio,
Praesul fit abbas loculi,
Comes dat se pro villico,
V. In patre, prole, flamine
Gaude, Berceti regio,
Divino munimine
Corpus sancti in oppido.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Aurora lucis rutilat,
Et Moderannus praedicat
Exemplis et doctrina.

2. Puer Dei Moderannus,
Castus semper et non vanus
Proficit in gratia.

3. Claris exstat parentibus,
Sed clarior virtutibus
Ortus in Britannia.

4. Praefert eum populus,
Omnium fit oculus
Ad aeterna bona.

5. Sancte Dei Moderanne,
Pontifex Redonensium,
Audi, pater venerande,
Voces te laudantium.

Ad Benedictus.

A. O visitator principum
In peregrina forma,
Inhabitator collium
In monachali norma,
Servos tuos eximens,
Sed Deo suscipiens
In regulari stola.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
Moderanni humilitas,
Praesulem Redonensium
Quem ejus clamat civitas,
Dum ejus gaudet animus
Atque exsultat spiritus
In Deo salutari.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — In 1. Vesp. R, 5 Claris. — Ad Magn. A, 7 Sit tui gregis. — In 1. Noct. R 1, 3 Carnis terrarum originem duxit. — R 1, 4 Ex Redonensi. — R 3, 1 resurgens. — R 3, 4 se fehlt. — In 2. Noct. R 2, 4 praefatus. — R 2, 6 exuvias fehlt, Lücke. — R 3, sq. verderbt.; lies sanctum? — R 3, 7 lies foturum? — R 2, 5 sq. Rex mortuus surgit de lectulo obedit continuo. — R 3, 2 et solio. — R 3, 7 lies: Divino est munimine? — In 2. Vesp. ad Magn. A, 3 Quem praesulem. — Ibid. 4 Ejus clamant.

## 68. In Translatione s. Moderanni.

### In 1. Vesperis.

R. Dum Moderanni anima
Transfertur ad coelestia,
Sua membra sanctissima
Ejus sumit ecclesia;
V. Qui es liber a vinculis
Carnis et cunctis bonis,
Sancte pater, perfrueris,
Sis memor tuis filiis
Tuis fisis reliquiis.

Ad Magnificat.

A. Tu translatus praesul comes,
Qui in Deo magna potes,
Moderanne, bonos mores
Dona et conserva omnes
In Dei servitio.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laetabitur
justus in Domino.

### In Nocturno.

Antiphona.

Resurgent in judicio,
Justorum in consilio
Moderanni reliquiae,
Perfruiturae requie.

Responsoria.

1. Moderannus dissolvitur
Et sepulturae traditur,
Suo perfecto opere
Vitae vergente vespere.
V. In ara, qua libaverat,
Jesu Christo servierat,
Dextera collocatur.

2. Sanctus sancto Tiberius
Succedit in regimine,
Subalpinis pro nomine
Moderanni consocius,
V. Urnam novam hic praeparat,
Quam Moderannus habeat,
Sed fruitur Abundius.

3. Praesul Abbatem praesulem
De tumba transfert humili,
Quem loco honorabili
Mundo recondit humilem;
V. Hujus furatum digitum
Et in sinu absconditum
Flamma fatur ad praesulem.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Decorem clarum induet
Corpus sancti carneum,
Anima cujus possidet
Jam solium sidereum.

2. Puer Dei Moderannus,
Castus semper et non vanus,
Proficit in gratia.

3. Claris exstat parentibus,
Sed clarior virtutibus,
Ortus in Britannia.

4. Praefert eum populus,
Omnium fit oculus
Ad aeterna bona.

5. Sancte Dei Moderanne,
Pontifex Redonensium,
Audi, pater venerande,
Voces te laudantium.

Ad Benedictus.

A. Adest, pater venerande,
Adest tua translatio,
Per te, praesul Moderanne,
Nobis detur salvatio.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Quo nunc loco Moderannus
Dormit sic suaviter,
Est in fine surrecturus
Cum carne feliciter.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — In 1. Vesp. R, 6 Canes et. — Ibid. 7 Sancte fehlt, perfruens. — Ibid. 9 In tuis confisis reliquis. — Ad Noct. R 1, 4 Vitae suae. — R 1, 7 Dextro. — R 2, 3 Albinis. — R 2, 5 Ornam nonam. — R 3, 5 furtum.

## 69. De sancto Nicasio.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

Ave, martyr insignis Nicasi,
Ave, magni comes Dionysii,
Ave, viva Christi hostia,
Tua venerantibus patrocinia,
Impetrata
non denega suffragia.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur flos Mariae,
Rex coelestis curiae,
Qui militem
suum Nicasium
Jure ab arvis
sublimavit ad coelum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Miles Christi Nicasius,
Coelis et arvis splendidus,
Papae Clementis monitu
Gallos ovans aggreditur.

2. Sancto Dionysio
Comes factus itineris
Ad praedicandum populis
Agit vota pontificis.

3. Tandem papae imperio
Pede feruntur concito
Et cum multis fidelibus
Advenerunt Parisius.

4. Cumque ministri Domini
Verbum darent in populis,
Undecumque non modica
Dei fantur magnalia.

5. Concursu plebis propero
Deus pater et filius
Simulque sanctus spiritus
Laetabatur unus Deus.

6. Ecce repente monitus
Per spiritum Nicasius
Cum duobus discipulis
Rotomagum expetiit.

Responsoria.

1. Postquam virtus altissimi
Mundo coelitus claruit,
Planum iter justitiae
Multis per orbem floruit
V. *Cumque salutaris fama crebresceret in nomine Domini Jesu Christi.*

2. Sanctus igitur Nicasius
Cum beato Dyonisio
A partibus Italiae
Sedes expetens Galliae
Francorum nobilissimam
Urbem intrat Lutetiam,
V. *Divino vallati adjutorio verbum vitae denuntiantes.*

3. Christi miles Nicasius,
Videns multos concurrere
Ad sacramenta fidei,
Valefactis confratribus
Neustriam petit ocius,
V. Trinitatis prospicuae
Animatus majestate
Cum duobus fratribus.

4. O Martyr Christe Nicasi,
Magne patrone meritis,
Mirande signorum virtute,
Clare audi voces nostras
Coram te fusas et fac nos
Aeternali choro jungi;

V. Precibus ergo
sanctis adesto
Calamitatibus,
quibus gravamur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. His in locis dum praedicat,
Oves Christi multiplicat,
Ac perfidorum rabiem
Fonte salutis enecat.

2. Illis nempe in partibus
Necdum regnabat Dominus
Et per fidelem famulum
Laudatur Deus omnium.

3. Post virtutum insigna.
Sectus cervicem romphea
Cum duobus egregiis
Consummavit martyrium.

4. Gaudens coelum mox suscipit,
Quos furens hostis perculit,
Jactura fusi sanguinis
Regnum mercantur luminis.

5. Mirum visu spectaculum,
Surgunt solo post jugulum
Ad tumulos et propria
Trans vada ferunt capita.

6. Coeli senator curiae,
Nicasi martyr inclite,
Cum tuis nos consortibus
Supernis junge civibus.

Responsoria.

1. Assiduis vigiliis
Atque orationibus
Se formam gregis faciens
De perfidiae errore
Filios gignit gratiae,

V. *Coelestibus eos informans praedicationibus per virtutem Domini.*

2. Divina tandem pietas
Et trinitatis unitas
Rotomago per spatia
Linguas cunctorum occupat
Et supernorum civium
Laudem canit vox hominum.

V. *Virtutum floribus praedicando corda confirmabat.*

3. Gloriosus sacer Christi
Mactus virtute fidei
Sanctae crucis signaculo
Saevum draconem peremit,

V. *Plebis igitur saluti providens fontem vitae condonando.*

4. Exsultet dignis laudibus
Omnis in Christo populus
In festivitate tui,
Pater Nicasi, martyrii,

V. Quem vitiis exonera
Et virtutibus alliga

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

Ave, martyr pretiose,
Coronatus in gloria,
Audi rogantes servulos
Et protege per saecula.

Responsoria.

1. Oratione sancti patris
Daemon speluncam exiit
Et prosperum meantibus
Per flumen iter patuit.

V. *Ad vocem sancti vis inimica contremuit, scindens lapidem fugax evanuit.*

2. Venerabilis Pientia
Monitis sanctorum
Ad Christum conversa
Corpora eorum collegit
Et honorifice sepelivit.

V. *Ad honorem Domini nostri Jesu Christi.*

3. Membra Christi Nicasius,
Quirinus et Scuniculus
Ad tumulos caesi sua
Detulerunt capita,

V. Mirum nimis spectaculum
Monstrantes post obitum.

4. Egregius
Athleta Christi Nicasius
In unitate trinitatis fundatus
Post donativum gratiae
Cum duobus discipulis
Gladio truncatus
Coelos petivit sanguine
Laureatus.
V. Felici commercio
Pro terrenis coelestia
Pro perituris aeterna
Commutans.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Venerandus Christicola
Currens laetus ad praemia
Triumphavit diabolum
Per sanguinis commercium.

2. Cumque manus carnificis
Sitiret undam sanguinis
Tres consumpsit in gladio,
Quos obtulit altissimo.

3. Peracta caede lanio
Pede fertur retrogrado,
Linquens sanctorum corpora
Palam feris exposita.

4. Surgunt tandem post morulam
Per Domini clementiam,
Ulnis imponunt capita
Et flumen pede transmeant.

5. Exponuntur mausoleis
A matrona praenobili
Atque in sinu gurgitis
Ecclesiam plebs condidit.

Ad Benedictus.

A. Martyres egregii,
Nicasi, Quirine
Ac Scunicule,
Qui post immania
Tormenta triumphastis
Coram coelesti rege
Facinora nostra
Assidua prece
Diluite.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Succurre, sancte, miseris,
Esto placatus servulis,
Nostris faveto vocibus,
Culpas laxa, quas fecimus,
Adstantem plebem robora,
Christum pro cunctis rogita.

Antiph. ms. S. Catharinae de Monte(?) saec. 14/15. Cod. Rotomagen. 254. — In 2. Noct. **A** 3, 2 Exectus cervicem.

## 70. De s. Nicolao Tolentino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Christus, Dei patris
Sedens in dextera,
Ruinas adimplet
Sanctorum caterva,
Nicolaum locans
Inter haec agmina.

2. Fidelia Domini
Mandata servanti
Bonus intellectus
Atque timor sanctus,
Sapientiae fons
Perpetuo adsunt
Et apud homines
Constans laudatio.

3. Timenti Dominum
Cuncta prosperantur,
Ejusque sermones
Juste disponuntur,
Et anima sancta
Luce radiatur.

4. Puer Deum laudat
Affectu non parvo,

In astris habitans
Respicit de throno
Humilem servulum
Et cum principibus
Collocat in coelo.

5. Laudent omnes gentes
Deum creatorem,
Cujus veritatem
Aeternum mansuram
Nicolaus monstrat
In se confirmatam.

Ad Magnificat.

A. Adest dies celebris,
Laetus et praeclarus,
Quo gaudet cum angelis
Sanctus Nicolaus;
O suavis cellula,
Mire pigmentata,
O coelestis gemmula,
Luce radiata,
Nos in hoc exsilio
Refove clamantes
Et taetris illumina
Tenebris errantes,
Ut nostra praecordia
Magnificent Deum
Et jugi concordia
Exsultent in eum.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus,
Confessorum praemium,
Qui beato Nicolao
Dat perenne gaudium.

## In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tamquam lignum plantatum
Ad aquarum decursum
Nicolaus affert fructum
Suum temporaneum.

2. Pii patris disciplinam
Filius amplectitur,
Divinam evitans iram,
Qua superbus plectitur.

3. Hic in se insurgentium
Superat vim daemonum,
Dum clamore pulsat Deum,
Adjutorem hominum.

Responsoria.

1. Hujus servi Domino
devoti parentes
Nicolai praesulis
limina visentes,
In ejus basilica
vota persolventes,
Divina suscipiunt
munera gaudentes;
V. Nam his sanctus pontifex
spondet nasciturum
Nicolaum filium,
beatum futurum.

2. Corpore juvenculus,
mente nitens cana,
Despicit hoc saeculum
atque cuncta vana
Suscipitque regulam
patris Augustini
Et flagrat incendiis
amoris divini,
V. Crescit charismatibus,
dum crescit aetate,
Sancta tegit opera
sub humilitate.

3. Carnis petulantiam
vir Dei castigat,
Sibi quoque moritur,
ut jam Christo vivat,
Animalis hominis
odit vetustatem
Et sanctam amplectitur
vitae novitatem.
V. Ovis atque carnibus
edens privat gustum
Et jejunans graditur
per iter angustum.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocatum ipse Deum
Habuit amabilem,
Et excelsum fecit eum
Cunctisque spectabilem.

2. Scuto bonae voluntatis
Praemunitus jacula
Non timet malignitatis
Justus sine macula.

3. Qui solem, lunam et stellas
Lumine praefulgidas
Firmamentumque fundavit
Nicolaum coronavit.

Responsoria.

1. Nocturnas excubias
vigil observabat
Et Deum gemitibus
piis exorabat,
Quibus ejus anima
sancta pascebatur,
Donec in exsilio
mundi morabatur.
V. Nulla nam adversitas
Vim ejus frangebat,
Mentis nec elatio
Ipsum extollebat.

2. Magnitudo meriti
ne sanctum extollat,
Belial saevissimus
eum colaphizat,
Sed pugil fortissimus
dum in Deo sperat,
Suum parat animum,
ut adversa ferat.
V. Ait daemon: actibus
tuis adversabor
Et, quam quaeris, gloriam
auferre conabor.

3. Nicolaus spiritu
plenus pietate
Revocavit plurimos
ab iniquitate,
Quorum noxa flebiles
simul ipse flebat
Et ad ponitentiam
ipsos invitabat,
V. Nam misericordia
superabundabat,
Qua virtute miseros
quosque confortabat.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Olim transiens colonus
Hujus mali saeculi
Effectus est habitator
Dei tabernaculi.

2. Vita vivit, quam pertulit
Mentis desiderio,
Nam quod speravit, accepit
In aeterno gaudio.

3. Nicolaus hic ascendit
In montem sanctum Domini,
Quia innocens manibus
Et mundo corde fuit.

Responsoria.

1. Vitam atque merita
mira probant signa,
Quae vivus et defunctus
fecit laude digna;
Per hunc Christus liberat
languoribus fessos,
Leprosos et naufragos,
vinctos et obsessos,
V. Reddit vitam mortuis
et loquelam mutis,
Lumen caecis et claudis
gressum, auditum surdis.

2. Dum decumbens lectulo
senex aegrotavit,
Corpus terrae, spiritum
Patri commendavit,
Cujus dies ultimus
dies est natalis,
Cujus mortis exitus
factus est vitalis;

V. Gaude, tanto pignore
Marchia dotata,
Et plaude, religio,
sancto decorata.

3. Nicolaus possidet
jam regna coelorum,
Quem honorant agnima
cuncta beatorum,
O pater sanctissime,
supplices emenda
Et orationibus
Nos Christo commenda.

V. Tu felix nos miseros
suspirantes audi,
Tu gaudens in gloria
Flebiles exaudi.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Nimis credibilia
Reddit testimonia
Nicolaus Christo,
In sanctis mirabili
Nobisque laudabili
Sed corde non ficto.

2. Intravit in atria
Domini cum gloria
Almus hic confessor,
Ubi laetus jubilat
Et serenus rutilat
Noster intercessor.

3. Quod in terra arida
Mente nimis avida
Diu jam sitivit,
Corde jucundissimo
Et haustu plenissimo
Sine fine bibit.

4. Patrem, natum, spiritum,
Verum Deum unicum
Omni creaturae
Nicolaus praedicat,
Dum tot signis indicat
Spem vitae futurae.

5. Cuncta visibilia
Et invisibilia
Laudent creatorem,
Qui tot mirabilia
Fecit et prodigia
Per hunc confessorem.

Ad Benedictus.

A. Dum instaret ultimus
Hujus vitae terminus,
Ait vir beatus:
Ecce, fratres, advenit
Et nunc mihi subvenit
Christus invocatus,
Dicens, ut in gaudium
Intrem post exsilium
Mei incolatus;
Et sic ad convivium
Supernorum civium
Scandit coronatus
Nicolaus inclitus,
Ut sit noster coelitus
Pius advocatus.

## In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O vir ineffabilis,
lux eremitarum,
Educ de periculis
harum tenebrarum,
Quos circumdat flebilis
limus aerumnarum,
Ut cum sanctis omnibus
tibi gratulemur
Et aeternis saeculis
Christo collaetemur.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Parisin. 1094. A. — Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Duacen. 166. B. — In 1. Vesp. Super Ps. **AA** fehlen B. — Invit fehlt A. — In 1. Noct. **A** 1, 1 lignum irrigatum. B. — **A** 1, 2 affert gratum B. — **A** 1, 4 Fructum temporaneum B. — **A** 2, 3 Ut effugiat ruinam B. — **A** 3, 1 Insurgentium in eum B. — **A** 3, 2 Premit viam B. — **A** 3, 3 flectit Deum B. — **A** 3, 4 Salvatorem hominum B. —

R 1, 1 Cujus servi B. — R 1, 2 Fideles parentes B. — R 1, 4 visitantes B. — R 1, 6 Preces effundentes B. — R 1, 9 Nam his sanctus B. — R 1, 10 promit B. — In 2. Noct. A 1, 1 istum Deum B. — A 1, 2 placabilem B. — A 1, 4 Cunctisque mirabilem B. — A 2, 4 Sanctus Dei famulus A. — A 3, 4 Gloria et honore Nicolaum A; die ganze A lautet in B:

Inter stellas, quas fundasti
Susceptivas gloriae,
Jesu Christe, numerasti
Nicolaum hodie.

R 3, 1 Nicolai spiritus B. — R 3, 8 eos compugnabat B. — In 3. Noct. A 1, 1 transiens viator B. — A 1, 3 Factus est B. — A 2, 1 quam petivit B. — A 2, 3 Quod speravit nam accepit B. — A 3, 3 Quia neminem offendit B. — A 3, 4 Sed servivit creato B. — R 1, 3 vivens B. — R 1, 9 Vitam reddit B. — R 1, 11 caecis, claudis gressum B. — R 1, 12 atque aures surdis B. — R 2 fehlt A. — In Laud. A 4, 5 signis innovat. — Ad Bened. A, 14 noster in coelis A. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 2 sancti Augustini B. — Wie man sieht, sind die Lesarten von B in der Mehrzahl der Fälle wirkliche Verbesserungen des Textes, aber eben Besserungen, schwerlich das Ursprüngliche.

## 71. De sancto Odilone.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sancte sanctorum
Deus mirabilis,
Odilonis nos annua
Laetificent solemnia,
Qui tua fretus gratia
Coeli tenet palatia.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Confessorum regem,
Venite, adoremus Dominum,
Glorificantem proprium
Odilonem famulum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Legibus aeternis
divino pollice sculptis
Odilo sub leni
se subdit foedere Christi.

2. Qui Domino semper
servivit corde beato,
Spem retinens vitae,
coelesti plenus amore.

3. Invocat hic Dominum,
proprium qui salvat alumnum,
Dilatans animum
fidei munimine septum.

4. Ingreditur templum
fulgenti lumine clarum
Atque Deum coeli
supplex et laetus adorat.

5. Christe, tuum nomen
terra veneratur ab omni,
Qui sanctos semper
magno splendore coronas.

6. Odilo confidens
in Christo non timet hostem,
Transvolat innocuus
fraudes, quas tendit iniquis.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In castris jam, Christe, tuis
gaudens requiescit
Odilo, sanctorum
cuneis consertus in astris.

2. Te vitam veram
   viventia cuncta creantem
Odilo quaesivit,
   petiit, respexit, amavit.

3. Actibus innocuus
   et mundo corde beatus
Posthabitis terris
   conscendit culmina montis.

4. Odilo protegitur
   linguarum turbine fracto
Ac fidei clipeo
   munitur ab hoste maligno.

5. Hunc Deus assumpsit,
   cum mundi noxia sprevit,
Glorificans coelo,
   quo fulget splendidus ordo.

6. Justus in ecclesia
   splendet ut frondea palma,
Multiplices fructus
   pandens ceu mystica credus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Odilo, vir clarus,
   divino dogmate plenus,
Despiciens aurum
   coelum jam possidet ipsum,
Nunc jubilat laetus
   coelesti pane refectus.

In Laudibus.

R. Quo die factor machinae
Requievit ab opere,
Odilo mortis foedere
Solvitur carnis carcere,
Lucescente jam vespere
In primam Sabbati,
Disrupto noctis vinculo
Ut resurgat cum Domino;
V. Erectis sursum oculis,
Valedicendo filiis,
Salva mentis memoria
Laetus redit ad propria.

Ad Benedictus.

A. Ecclesiae splendens
   effloruit Odilo lumen,
Cordibus a multis
   qui tersit nubila noctis,
Cujus ab ore sacro
   pietatis prodiit ordo.

Antiph. ms. Cluniacense (?) saec. 13. Cod. Parisin. 1087. — Die zugehörigen RR sind in Prosa und Reimprosa abgefaſst.

## 72. De sancta Opportuna.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Salve, virgo, salve, pia,
   Salve, decora specie,
Sponsa regis et filia,
   Splendor misericordiae,
Salve, caecis dulcis via,
   Exemplum patientiae,
Exclude cordis vitia,
   Da donum sapientiae.

2. Opportuna piissima,
   Omni plena dulcedine,
Exonera, sanctissima,
   Nos ab omni pecamine,
Ut tuo ad altissima
   Transcendamus precamine.

3. O felix proles regia,
Quae tam dignam produxit filiam,
Quae curae mundi nescia
Summi regis percepit gratiam,
Pudoris ferens lilia
Ad coelestem pervenit patriam.

4. Sponso exivit obvia
Sponsa servans vigilias,
Thori delicti nescia
Introivit ad nuptias,
Suas fert patri filia
Castitatis primitias.

5. Est in Roma vox audita,
Hac ad palmam transmigrata
Rachel gaudet consolata,
Sponsa sponso sociata.
Hac laetemur triumphata,
Caritate, spe probata,
Ut nostra sit advocata
Virgo caelis coronata.

R. Christi virgo speciosa,
Cujus vita gloriosa
Refulget memoria,
Gemma nitens pretiosa,
Hac in valle procellosa
Fer reis remedia,

V. Ut elapsis fructuosa
Tua prece copiosa
Detur Christi gratia.

## Ad Completorium.

Super Psalmos.

A. Opportuna, virgo pia,
Ab omnibus nos expia
Peccatis tuis precibus,
Confractis hostis viribus.

Ad Nunc dimittis.

Evigila super nos, virgo bona,
Et per te luminis sumamus dona
Et noctis caveamus tenebras
Et labentis mundi illecebras.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur
rex, sponsus virginum,
Cujus fertur
virtute lucidum
Opportuna
ad Abrahae sinum.

## In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Opportuna,
Dei virgo electa,
In divina
caritate perfecta,
Scuto spei
ac fidei ornata,
Castitatis
lilio roborata
Ideoque
ab angelis elata,
In choro es
virginum coornata.

2. O quam hujus
vita laudabilis,
Cujus lampas
inexstinguibilis,
Sit pro nobis
haec deprecabilis,
Ut sit nostri
rex miserabilis
Adveniens
judex terribilis.

3. Solemnitatem
Opportunae
Virginis almae
Suscipientes
Corde supplici
Laudes Domino
Persolvamus,
Qui ei perpetuam
Dedit gloriam,
Ut piis ejus meritis
Peccatorum
Consequamur veniam.

Responsoria.

1. Sacram hujus eximiae
Solemnitatem virginis
Celebremus in hac die
Repulsa labe criminis,
Quae linquens hoc exsilium,
Cursu adepta bravium,
Palmam gerens victoriae
Fertur ad thronum gloriae,

V. Quod cum praecelsa virgine
Cunctisque coeli civibus
Pietatis dulcedine
Concessa nobis gratia
In Christi sonet auribus.

2. Virgo prudens et fidelis,
Firma Christi sub loquelis
Litus maris graditur,
Munda mundi de quaerelis
Angelorum laude caelis
Ovanter accipitur,
Cujus festo plebs laetetur,
Ut per ipsam confirmetur
In Christi regimine.
V. Cor oppressum sublevetur
Et ab hoste liberetur
Virginis praecamine.

3. O Dei felix ancilla,
Pauperum dulcis mamilla,
Jubar sexus feminei,
Agonizans jugo Dei,
Cujus Christi famulatu
Fluit aetas in ornatu
Supernae scientiae,
Funde preces pro miseris,
Tu quae regnas in superis,
Omnis expers miseriae.
V. Tua nos intercessio
Excuset in judicio,
Ne currente justitia
Trahamur ad supplicia.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Deum laudemus pariter,
Qui sanctam facit jugiter
Opportunam in populis
Clarescere miraculis.

2. Haec regis colens horrea
Granum traxit a palea
Delicta vitans carnea
Vivens sub Christi linea
Luce fertur aetherea.

3. O in omni
virgo laudabilis,
O in omni
Deo amabilis,
O in omni
virtute stabilis,
O meritis
et fide nobilis,
Fac, quos actus
probat culpabilis,
Dignos esse
regni mirabilis.

4. O quam vera faternitas,
O inquam mira dignitas,
Quod vim vincit vis virginis
Fortium multitudinis
Erigendo sanctissimum
Fratris corpus exanimum.

5. Flagrat virgo
in Christi moribus
Cunctis obstans
daemonum viribus,
Mirificis
pollens virtutibus
Aegros sanat
multis languoribus,
Sanos juvat
dignis in precibus.

Ad Benedictus.

A. O miranda
virginis puritas,
Quam declarat
angeli dignitas,
Summo regi
qui parans filiam
Introducit
ad ejus regiam,
Opportunam
repletam numine,
Hoc meritis
jam dictam nomine.

## Ad parvas Horas.

Ad Tertiam.

A. Gaudet chorus coelestium
Invitata ad praemium
Virgine et virgineo
Conjuncta coeli cuneo.

Ad Sextam.

A. Accincta fortitudine
Virgo Christi regimine,
Amicta stola candida
Sede gaudet lucida.

Ad Nonam.

A. Mole carnis haec exuta
Est optatum consecuta,
Quam in mundo concupivit,
Coelo semper vita vivit;
Illuc prece nos includat,
Hic a malis non excludat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Hodie coelesti sponso
sponsa advocatur,
Hujus lapso cursu vitae
vita gloriatur,
Nos in ejus solemniis
digniter laetemur,
Ut in Christo per ejus
merita gloriemur.

Per Octavam.

Ad Magnificat.

A. Opportuna piissima,
Roga Deum, dulcissima,
Ut auferat miseriam,
Nobis concedat veniam,
Prece tua relevemur,
In excelsis sublevemur,
Ibi tecum maneamus,
Sine fine gaudeamus.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Parisin. 1094. — An Hymnen gehören zu diesem Officium: In Vesp.: Opportunam celebremus; ad Complet: Jesu corona virginum; ad Laud.: Pia mater ecclesia.

## 73. De sancto Pardulpho.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Lampadis egregiae
festum gaudemus adesse,
Pardulphi, nostri
patris eximiique patroni,
Quo Christum petiit,
quem puro corde sitivit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem humilium,
glorificemus Dominum,
Qui beatum Pardulphum,
pauperem in mundo,
ditavit in coelo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lampadis egregiae
festum gaudemus adesse,
Pardulphi, nostri
patris eximiique patroni,
Quo Christum petiit,
quem puro corde sitivit.

2. Dum casu rami
puerile caput vitiavit,
Corpore caecavit,
quem pectore clarificavit.

3. Introitum mortis
dum clausum reperit hostis,
Pardulphus [caecus],
divino munere tutus,
Adversus lumen
convertit mentis acumen.

Responsoria.

1. Pardulphus, largus miseris,
tantum sibi parcus,
Crebro vestitis
mendicis nudus abivit
V. Et jejunavit,
reliquos ex quo satiavit.

2. Possessas ut opes
in coelis condere posset,
Coenobium monachis
Lantherius aedificavit,
Pardulphi sacris
quod commendavit habenis
V. Ductoremque gregis
caecum dedit esse videntis.

3. Lemigae, Regnarice,
quos Pardulpho rapuisti,
* * * * finem
sceleris mortemque dedissent
Intercludentes
fauces, stomachum fugientes,
V. Ni per patris opem
rejici tandem potuissent.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nempe Deum cernens
et mundi gaudia spernens,
Exclusit mortem,
vitae servavit amorem.
2. Nam placuit Christus,
verus thalamus ab intus,
Dumque corda premunt,
species mundi latuerunt.
3. Aegrorum medicus
pietatis dum fit amicus,
Enituit signis,
quis in illo viveret ignis.

Responsoria.

1. Aegrorum medicus
pietatis dum fit amicus,
Enituit signis,
quis in illo viveret ignis,
V. Nempe Deum cernens
et mundi gaudia spernens.
2. Marcellus toto
reptabat in pectore parvo,
Pardulphi lavacro
qui fotus et unguine sacro
V. Erexit vultum,
bipedis mutatus in usum.
3. Pardulpho nomen
dans et virtutis honorem
Martinus quidam
non impendit medicamen,
Nocturnis monitis
qui sanctum jussus adivit,
V. Sed rediit proprio
gressu veniens asinino.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Arnulphus sprevit
flentes oculos mulieris,
Sedibus elisos
oculos post flevit equinos.
2. Sic patris annonam
commedenti fecit amaram,
Sed post vindictam
veniam dedit in medicinam.
3. Vasco caecus erat
Domolenus, voce carebat,
Hunc quoque restaurat
venerandi nominis abbas.

Responsoria.

1. Dum cuncti fugiunt,
hostes qui cernere possunt,
Pardulphusque pius
pater est sine luce relictus,
Agnum salvavit
Deus ipse luposque fugavit,
V. Et caecum fugiunt,
urbes qui castraque vincunt.
2. Est regnare Deo
vultu servire sereno;
Non manus artificis
lignum producere quivit,
Quod prolongavit,
qui vota precum trutinavit
V. Pardulphi patris,
sibi devote famulantis.
3. Coelitus angelicae
resonans vox euphoniae,
Quem semel assumpsit,
dulci modulamine duxit,
Sic emigrasti,
sic pascha tuum celebrasti.
V. Auditor verus
fuit et testis Theodenus,
Qui currens vita
te non invenit in ista.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Pardulpho sacro
puerilia membra lavacro
Reddunt lota gravem
de parvo corpore faecem.

2. Nam cunae pueri
nequeunt a matre moveri,
Nec manibus matris
possunt artus agitari,
Quos uterus matris
plures menses bajulavit.

3. Impellunt pueri
sese cunabula sponte,
Nam cum laxatur,
tunc lectulus ille rotatur,
Acsi succedat
levitas gravitasque recedat.

4. Haec virtus grandis
pueri permansit in albis
Nec post haec multum
sinitur conjungere mundum.

5. Coelos angelicis
penetravit virtus [in] ulnis
Nec maculam secum
traxit victurus in aevum.

Ad Benedictus.

A. O Pardulphe pater,
si non tu, quis fuit alter,
Qui lecto vires
dedit, ut fluitare nequiret,
Cum portaretur
manibus vel cum traheretur?

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ut quo te miris
monstrares vivere signis,
Per te post mortem
vexatus depulit hostem,
Ergo [Deo] doxae
pie nos conjunge patrone,
Quos instruxisti
fac cernere [gaudia Christi],
Quo tecum veniant,
tecum per saecula vivant.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 354 (787). — In 1. Noct. **A** 3, 3 Lücke. — **R** 1, 5 rimunavit. — **R** 2, 5 Pardulphus. — **R** 3, 1 Legarice, nur dies Hs. — **R** 3, 7 Hi per. — In 2. Noct. **R** 2, 1 Marcellus in Christo toto. — **R** 3, 6 sanctos. — **R** 3, 8 gressus. — In 3. Noct. **A** 1, 1 exprevit. — **A** 3, 1 Tuastro. — **A** 3, 2 Dompnolenus; sonst Demolenus, Domolinus. — **R** 3, 7 Ibiditor. — In Laud. **A** 1, 4 facem. — Nach Ad Bened. **A**, 6 folgt noch: Tunc cum ipse deseretur.

## 74. De s. Paulo Leonensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ex Britonum Paulus
praeclara stirpe creatus
Transcendit mentis
nobilitate genus.

2. Traditus Ylduto
doctoque viroque probato
Excultus studiis
est puer ingenuus

3. Quantum doctrinae
puer hic perceperat inde,
Ejus vita sequens
factaque mira probant.

4. Accersivit enim
rex Marchus, verba salutis
Praesens ut caperet
ejus ab ore pio.

5. Oblatam fugiens
cathedram sibi pontificalem
Angelico monitu
deseruit patriam.

Ad Magnificat.

A. Ad aeternae civitatis gaudia,
In qua Deus omnibus est omnia,
Paulum, cujus eminet solemnitas,

Perduxerunt fides, spes et caritas,
Quas ut nobis atque suo populo,
Postulamus, impetret a Domino.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Collaudemus conditorem saeculorum,
Quem collaudat multitudo confessorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Paulus cognomento Aurelianus
Dignam Deo studuit ducere vitam.
2. Hic disciplinae traditus
Christi favente gratia
Sic egit, ut doctoribus
Par esset in scientia.
3. Nec mora, mirificis coepit clarescere signis
Et meritis celebres aequiparare senes.

Responsoria.

1. Inclitus Christi confessor Paulus
In tenerae infantiae diebus
Spiritus sancti gratia est perfusus,
V. Cujus sacra unctione edocens
Deo placebat et hominibus.
2. Progenie fratrum
Deus hunc tulit ex generosa,
Ut sibi mancipium
sanctificaret eum,
V. Lactantem puerum
virtus divina replevit.
3. Aetate prima
dum studeret literis
Inter sodales
claruit miraculis,
Ut, quod vocatur,
esset admirabilis,
V. Sic factitabat
Paulus a cunabulis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sexto post decimum
Paulus in anno
Desertis sociis
atque magistro
Desertum petiit
non pede lento.
2. Ubi panis
Ei cibus
Et sal, aqua
Potus erat
Trutinata.
3. Cetera cuncta quibus gula suevit in accipiendis.
Respuit et puer et senio gravis.

Responsoria.

1. Doctoris monitu dum segetes puer
Custodiret, aves perdomuit truces,
Quas cogens veluti lanigeros greges
Claustri supposuit seris.
V. Fusa cum lacrimis ad Dominum prece
Vicit damniferas apes.
2. Fama volans cito claustra replet,
Doctor adest nova facta stupet,
Laudat Deum puerumque fovet,
Alitibusque aperire jubet.
V. Discipuli tandem ad placitum
Nobile temperat imperium.
3. Postquam Paulus tam stupendum
Patravit miraculum,
Devitare corde volens
vanas laudes hominum,
Tribus lustris adimpletis
penetravit eremum,
V. Derelinquens conscholares
simul et didascalum.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. A sorore sua ductus
Contra magni maris fluctus
Flexo genu preces fudit
Et de salo solum fecit.

2. Navigat inde Paulus ad Ossam,
Ut Leonensem visere terram
Posset ab ipso nobilitandam.

3. O quam beata patria,
Cujus replet novalia
Farris superna gratia
Tradente Paulo semina.

Responsoria.

1. Anguis terribilis
jumenta virosque vorantis
Colla stola cinxit
solvensque sub aequore mersit,
V. Quem plebs horrebat,
quem miles adire timebat.

2. Ad gradum tandem pretiosioris
Ordinis ductus fruebatur escis
Vilibus, mactans statione corpus
Continuata.
V. Post dies binos comedebat aut tres
Cum sale panes.

3. Completis centum venerabilis architectus annis
Virgo polum scandit diademate candido refulgens
V. Ecce senex Paulus comitantibus angelis triumphans.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laude continua
Deum prosequamur
Et inclitum praesulem
Legionensium.

2. Qui pro salute
plurimorum turbida
Se parvipendens
transfretavit aequora.

3. Dum visitaret insulam
Fecit salutem maximam,
Caecis lucernam proferens,
Elinguibus facundiam.

4. Aliis quoque, quos paralysis
Sepeliverat in scrobe carnis,
Dedit integra dona salutis.

5. His patratis parvi ruris
portionem
Transit sanctus pugnaturus
cum dracone,
Quem demersit liberata
regione.

Ad Benedictus.

A. Praesentis pater inclitus
Mundi de cavea
liber ad aethera
Paules transit,
Ubi perfruitur
perpete gloria.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O patriae pater, omnimoda
dignissime laude,
O famulis tutela tuis
mitissima, Paule,
Qua renites, tibi pande fores
famulantibus aulae.

Brev. Leonense imp. Parisiis 1516. — In 1. Noct. **A** 2, 3 in doctoribus. — In 2. Noct. **A** 3, 2 sevit. — **A** 3, 3 senis gravis. — **R** 1, 6 Vidit damniferos.

## 75. De sancta Perpetua.

### In 1. Vesperis.

R. Vidit Jacob scalam,
vidit et Perpetua
Quadam nocte palam
et mente prospicua
Et scandentem Satyrum,
Magnum decus martyrum.

V. Post mundi cursum
fac nos ascendere sursum,
Christe, beatorum
tutissima scala tuorum.

Ad Magnificat.

A. Perpetua
nobis auxilium,
Perpetua,
cujus consilium
Fuit, Deum
cunctis praeponere,
Patrem enim,
matrem et filium
Et mariti
dulce consortium
Propter Deum
novit contemnere.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus Christum,
qui Perpetuam
Ad coronam
duxit perpetuam.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Audit pater comprehensam
Suam natam et immensam
Reputat infamiam.
2. Studet ergo praeparare
Et eandem revocare
Vult a fide filiam.
3. Dixit ei: quid fecisti,
Cur nobis imposuisti
Sempiternam maculam?

Responsoria.

1. Laudibus egregiis
Laudemus Perpetuam,
Quae supernis gaudiis
Laudem fert assiduam,
V. Omnes imitemur,
ut ei jungi mereamur.
2. Videns constantem filiam
Et in fide persistere,
Hinc versus in insaniam
Vult oculos eruere,
V. At virtus Christi
juvat hanc, sed obviat isti.
3. Saturninus et Satyrus,
Quos nec favoris Zephyrus
Nec tonitrus minarum
Potuerunt evertere
Vel ad sinistram flectere,
Augent festum praeclarum.
V. Cum Saturnino
Satyroque simul saturari
Poscimus et secum
coelestia regna lucrari.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Finem pone tuis ceptis,
Salutaribus praeceptis
Aurem praebens credulam.
2. Numquid tu degenerabis
Generique generabis
Jacturam perpetuam?
3. Cum juventus et honestas,
Genus, decor et potestas
Te reddant praecipuam?

Responsoria.

1. Collaudemus Revocatum,
Nunquam tamen revocatum
Ab ardore fidei,
Simul et Felicitatem,
Qui sunt ante deitatem
Quasi duo cerei.
V. Felix felicem
proles meruit genitricem,
Partu praecepto
genuit quam mensibus octo.
2. Parturiens in dolore
Parturientium more
Hoc mense praecipue,
Quaerenti, quantum doleret,
Cum hanc fera perurgeret,
Respondebat congrue:

V. Hic caro torquetur,
sed ibi pro me patietur
Sanctus sanctorum,
reputans sua damna suorum.

3. Mox post partum adducitur
Et ad theatrum trahitur
Pugnatura cum bestia,
Cruorem puerperii
Lavit unda martyrii
Hanc collocans in gloria.

V. Exora Dominum,
martyr, qui te fecit esse
In regno secum,
ut nos possimus adesse.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tunc matrona corde laeso
Bona, inquit, verba, quaeso,
Pater, et non talia.

2. Petra nequit immutari
Nec aliud nuncupari,
Quam petrae substantia.

3. Sic et ego Christiana,
Quamdiu sum mente sana,
Nunquam dicar alia.

Responsoria.

1. Post conflictum bestiarum
Et inflicta diversarum
Poenarum supplicia
Quisque martyr Christi factus
In se Christi complet actus
Et mortis vestigia;

V. Sorti sanctorum
societ nos rector eorum.

2. Post luctamen Aegyptii
Et post puncturam gladii
Atque nece cernua
Jam procedens ad exitum
Tradidit Deo spiritum
Beata Perpetua;

V. Det nobis, cura,
martyr, perpetua jura.

3. Felix quondam Mauritana,
Cujus urbs Tuburbitana
Floruit hac filia,
Felix nunc Evodiana,
Cujus corpus fide sana
Servat haec ecclesia.

V. Christi matrona,
te supplice sumere dona
Coelica speramus,
qui tibi munera damus.

Prosella.

Ascendant per te preces
nostrae, Perpetua,
Ad Deum, qui tibi dedit
regna perpetua.

Qui truculentis eruit
patris ex manibus
Et te servavit sibi
matris ab uberibus.

Tibi cuncti psallimus,
Te laudantes colimus

In hoc natalitio
Tuo cum tripudio.

Nostra concio
Resonet cantica

Tibi, quam laudat
Phalanx angelica,

Ad coelestia
Tandem ut gaudia
Veniamus te praeside.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Suscipiat ecclesia
Solemnitatis gaudia,
Quae nobilis progenie
Et moribus ingenua
Nobis propinat hodie
Veneranda Perpetua.

2. Ad quam directo nuntio
Proconsul Armunitio
Claudi jubet in carcere
Ortam illustri genere.

3. Coelum attingit summitas
Scalae, qua unus graditur,
Ecclesiae sic unitas
Sola coelum ingreditur.

4. Scalam ascendit auream,
Virus nec serpens officit,
Sedem scandit aethereum
Justus, qui Satan despicit.

5. Fixi cultri et gladii
Juxta situm martyrii
Eis metum incutiunt,
Qui mundi poenas fugiunt.

Ad Benedictus.

A. O beata Perpetua,
Duc nos ad vitae pascua
Et horto amoenissimo,
Fructu copiosissimo,
Ostenso tibi coelitus
Remota labe penitus
Fac nos frui cum gloria
Permansuros in patria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Verbum legis custodiens,
Sicut mandavit Dominus,
Patrem et matrem nesciens,
Pro Christo nihilominus
Virum abjecit proprium
Et filium Perpetua
Et manus dehortantium
Martyrium et genua.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 277. B. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. C. — In 1. Vesp. R 2 vidit et fehlt A, Perpetuam BC. — Ibid. 4 prospicuam C. — Ibid. 8 nos scandere C. — Ad Magn. A, 1 Perpetue A. — Ibid. 2 det nobis C. — Ibid. 9 Et matri C. — Ibid. 11 Prope Deum A. — Invit. 4 perduxit C. — In 1. Noct. A 1, 2 Suam filiam immensam C. — A 2, 1 ergo propenire B. — A 2, 3 ad fidem B. — R 2, 3 Hanc versus AB. — R 2, 5 Hanc virtus AB, Hac (hat, at) B. — R 2, 6 hanc fehlt AC. — R 3, 1 Satyrus et Saturninus B. — R 2, 2 favoris fehlt B. — R 3, 3 Et tonitrus C. — R 3, 6 Angere festum A. — In 2. Noct. A 1, 1 septis A. — A 1, 3 sedulam A. — A 2, 1 denegabis B. — R 1, 9 percepto C. — R 2, 1 in sudore A. — R 2, 3 Haec mente A, Hoc mente C. — A 2, 4 Quaerens A. — R 2, 6 Respondit A. — R 2, 7 Haec caro AB. — R 2, 8 sed ubique pro me AC. — R 3, 8 esse fehlt A. — R 3, 9 In regno esse A; In regno ne nos C. — R 3, 10 ut nos ab omne B; ne nos possimus abesse C. — In 3. Noct. A 1, 3 Pateri non talia AC. — Von R 1 ab fehlt das Folgende in B. — R 2, 2 Et fehlt C. — R 2, 3 Atque noctem cornua A, nece corona C. — R 2, 4 Jam fehlt AC; ad fehlt A. — R 2, 8 perpetua cura A, martyr pie cura C. — R 3, 2 Tiburbitana A, Turbitana C. — R 3, 3 ac filia C. — Prosella, 2 o Perpetua A. — Ibid. 5 turbulentis C. — Ibid. 6 ex fehlt C. — Ibid. 7 Ut se serviat A servavit igitur C. — Ibid. 8 ab fehlt. — Ibid. 9 cunctis psallamus C. — Ibid. 12 Tuo fehlt C. — Ibid. 16 psallens angelica A, plebs angelica C. — In Laud. A 2, 2 Et proconsul Armantio A. — A 4, 2 Minis nec serpens A, officit AB. — A 5, 2 Juxta siti. — Ad Bened. A, 2 vitae gaudia A. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 5 Matrem abjicit propriam A. — Ibid. 7 manus de orn amantium A. — Ibid. 8 et gemina.

## 76. De s. Petro Piperacensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Harmonizans cantet ecclesia,
Dum recolit Petri solemnia,
Nunc concinat cantica dulcia,
Congaudeat mentis laetitia.

2. Sacrosancti praeconia
Petri confessoris
Psallat haec familia
Vocibus sonoris,
Dignus est memoria.

3. Resonent tripudia
Laudibus canoris,
Petri sunt solemnia,
Dies est honoris.

4. Piperaci coenobium
Gaudet de Petri gloria,
Novum recitat gaudium
Poscens ejus suffragium.

5. Plebem tuam naufragari,
Ubi tot angustiae,
Non permittas in hoc mari,
O defensor patriae.

Ad Magnificat.

A. O Petre, nostrum speculum,
Sis nobis defensaculum,
Protege tuos famulos
In tua laude sedulos;
O Petre, petra solida,
Nos fragiles consolida,
Hic confer nobis gratiam
Et post aeternam gloriam.

## Ad Completorium.

Super Nunc dimittis.

A. Petrum magnificet
haec praesens concio,
Gratias referat
virginis filio,
Nam de valle miseriae
Ad coeli gaudium
Petrum sustulit hodie
Reddendo bravium.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regenti cuncta saecula
Psallamus mente sedula,
Qui sublimavit hodie
Petrum ad montem gloriae.

Antiphonae.

1. Non abiit in viam
Peccatorum,
Sed tenuit semitam
Perfectorum,
Domans carnis lasciviam,
Sprevit mundanam gloriam.

2. Servivit in timore
Domino dominantium,
Ardebat in amore
Totus semper coelestium.

3. In praesenti exsilio
Christus sua protectio,
Scandit ad montem gloriae
Per viam poenitentiae.

Responsoria.

1. In coelesti palatio
Nova petra erigitur,
In sanctorum collegio
Sanctus Petrus recipitur;
Gaudet accepto bravio
Post hoc praesens exsilium,
In coelesti rosario
Floret ut vernans lilium.
V. Ignis divini spiritus
Arsit in eo penitus
Omnem carnis rubiginem,
Dans boni plenitudinem.

2. Maceratur jejunio,
Induitur cilicio,
Offert se Deo hostiam,
Anhelando ad patriam,
Vitam duxit angelicam,
Rotam despexit lubricam.
V. Nutu divino praevio
Fungitur sacerdotio,
Ut stella matutina
Praefulsit in doctrina.

3. Multis refulgens titulis
Petrus claret miraculis,
Mulieri redditur visio
Habitu[sque cessat] privatio;
V. Magna micant merita,
cujus fuit inclita vita,
Hunc sua facta virum
demonstrant optima mirum.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Crucis facit signaculum,
Venenum pellit noxium,
Sanum reddit corpusculum,
Carnis fugat incendium.

2. Jam sanatur dupliciter
Pulso veneno noxio
Mulier mirabiliter,
Mentis curatur vitio.

3. Monstrat sibi divinitus,
Locum Domini spiritus
Aptum orationibus,
Quo vacat Dei laudibus.

Responsoria.

1. Canonicum
assumit habitum,
Hujus mundi
deserit spiritum,
Duos fratres
sibi confoederat,
Fructum parat
sicut conceperat,
Augmentatur
fratrum solatium
Et numerus
crescit fidelium,
Juxta praeceptum
Augustinicum
Victum sequuntur
apostolicum.

2. Exauditur
ejus oratio,
Liberatur
domus incendio,
Ignem suis
exstinguit precibus,
Multis fulget
clarus miraculis.

V. Ardor ignis exstinguitur.

3. Catervatim
ruit plebs sedula
Ad videndum
ejus miracula,
Et corpora
curat languida,
Multis donat
morbis remedia.

V. Erigit templi fabricam,
Ubi plebem famelicam
Reficit spiritaliter,
Hostem vincit viriliter.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Operatus justitiam
Tandem venit ad gloriam
Fruens aeterna requie
Regno coelestis patriae.

2. Non fuit desiderio
Fraudatus sive praemio,
In Domino laetabitur,
In coelis coronabitur.

3. Innocens corde, manibus,
Perfectus in virtutibus
Ascendit ad coelestia,
Ubi sunt vera gaudia.

Responsoria.

1. Parat delere funditus
Inceptum aedificium
Frendens malignus spiritus
Per saxi praecipitium;
Saxum de monte corruit,
Sed hostis non praevaluit,
Rupes in terra figitur
Et in lapsu comprimitur.

V. Petrus saxum retinuit,
Signum crucis opposuit,
Mira Dei potentia
Renovat mirabilia.

2. Hic Guidonem canonicum
Sanavit paraliticum,
Confert medelam corporis
In brevi hora temporis.

V. O sacerdotum gloria,
Audi nostra suspiria,
Pelle nostra facinora
Et da quieta tempora.

3. Orat pro naufragantibus
Vir Dei cum gemitibus,
Victus populi precibus
Subvenit pereuntibus,
Sacerdotis praeconia
Ostendunt tot prodigia.
V. Fac nunc, quod olim gesseras,
Pastor, gregem non deseras,
Subveni naufragantibus
Portum desiderantibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Signis in morte claruit,
Corpus inventum splenduit,
Ut balsamum redoluit,
Animae coelum patuit.

2. Post viri Dei transitum
Planctum magnum et gemitum
Ejus agunt discipuli
In sua morte quaeruli.

3. Ad tactum sui tumuli
Manus sanat discipuli,
Salutis beneficia
Sibi dat et auxilia.

4. Petrus febribus imperat
Et claudis gressum reparat
Et mutis dat fecundiam
Et surdis audientiam.

5. Caeci vident, muti fantur,
Oppressi doloribus
Et infirmi liberantur
Variis languoribus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus,
qui fecit omnia,
Qui Petro dedit gratiam
Faciendi
tot mirabilia,
Quem transvexit ad patriam,
Et quos premit
omnis miseria,
Impetret nobis veniam,
Ut fruamur
aeterna gloria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Recordare
tuorum pauperum,
Pastor, gregem
refove tenerum,
Miserere
tuarum ovium;
Pater, mentes
conforta tristium
Et corpora
sana languentium,
Roga regem
misericordiae
Pro delictis
hujus familiae.

Brev. ms. Piperacense anni 1440. Cod. Capit. Anicien. s. n. — In 1. Noct. R 1, 9 divinus. — R 2, 1 jejunio. — In 2. Noct. R 2 ist unvollständig; das Weitere des V. ist fortgeschnitten. — R 3, 6 fehlt eine Silbe. — In Laud. A 1, 4 coelum proturit.

## 77. De s. Petro Tarentasiensi.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, Vienna, praesulis
Petri festivo gaudio,
Quem admirandum saeculis
De tuo territorio
Misisti cum miraculis
Et virtutum sacrario.

R. Virgo parens Christi,
da turmae, quaesumus, isti,
Ut tibi devoto
Petro conamine toto
Cantemus dulces
dulci cum carmine laudes.
V. Adsis, virgo pia,
nunc pro nobis ora, Maria.

Ad Magnificat.

A. Gaude, castrum
sancti Mauritii,
Gaude, totus
ordo Cistercii,
Gaude, domus
sancta Stamedii,
Sed tu magis,
sedes Musterii,
Petri, patris
tui eximii,
Festum agens
praegrandis gaudii.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt sanctissimi
Petri solemnia,
Laudet et jubilet
Nunc Tarentasia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christus natus in Bethlehem
urbem parvam magnificat,
Et Petrus castrum parvulum
ortu suo clarificat.

2. Castrum istud quam plurimos
viros virtutum genuit,
Sed super omnes alios
sanctus Petrus emicuit.

3. Hic genus et patriam
suam decoravit
Per virtutum copiam,
quibus abundavit.

Responsoria.

1. Ex justorum
natus progenie
Petrus viam
tenet justitiae,
Laus tibi sit,
Christe, rex gloriae;

V. Puer virtutibus
Claret quam pluribus,
Excellens gratia
Et sapientia.

2. Inter viros
virtutum plurimos,
Sancti Petri
germanos proximos,
Major Petrus
fructus uberrimos
Tulit et optimos;

V. Ut sol stellas
praecellit lumine,
Sic hos Petrus
virtutum culmine.

3. Felix mater,
de cujus utero
Talis proles
est data saeculo,
Quae similis
clara lucifero
Coeli lumen
fudit in populo;

V. Spendor istius luminis
Luxit mundi in terminis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix, quae talem habuit
Bona vallis discipulum,
Cujus fama percrebuit
Fere per omne saeculum.

2. Plaudat domus Stamedia,
Quae singulari gaudio
Abbatis tam eximii
Refulget privilegio.

3. O quam dives efficitur
Bella Vallis, dum moritur,
Illuc atque reconditum
Servat tantum depositum.

Responsoria.

1. Petrus Petri
sequens vestigia,
Quae mundi sunt,
reliquit omnia,

Sola Christi
contentus gratia
Nec curans alia.
V. Petrus Christo
adhaerens fortiter,
Mundum vincit
Petrus viriliter.
2. Lumen latens sub modio,
Dum in altum attollitur,
Vitae, doctrinae radio
Et signis fulgens redditur.
V. Doctor ubi-
que factus praedicat,
Cunctos docet,
cunctos illuminat.
3. Dignitatis
ascendens culmina
Sancte vivit,
expugnat crimina
Et commissa
reformat agmina,
Nulla sanctum
fraugunt discrimina;
V. Nocte coeli
perlustrans lumina,
Die terris
dat verbi semina.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post abbatis officium
divinitus vocatus
Fuit apud Musterium
ad culmen praesulatus.
2. Factus praesul ecclesiae
suae reformandae
Et saluti populi
studet operandae.
3. Completis feliciter
quae erant minora,
Tandem felicissime
tendit ad majora.

Responsoria.

1. In odoris
vitae fraglantia
Populorum
currit frequentia
Signa videns
virtutum varia
Et exposcens
sancti suffragia;
V. Catervatim
ruente populo
Imminebat
mors Dei famulo.
2. Granum excussum palea,
Nexu solutum luteo,
De mundiali area
Coeli locatur horreo;
V. O cum quanto
receptus gaudio
In doctorum
fulget consortio.
3. Gregem tuum,
pastor egregie,
Festum tuum
colentem hodie
Tuis sanctis
defende precibus
A malorum
cunctis incursibus,
V. Ut sub tuo
nunc patrocinio,
Tuo tandem
sit in consortio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest dies memoriae,
Quo Petrus vir magnificus
Transit ad regnum gloriae
Civis effectus coelicus.
2. O cum quanta laetitia
Receptus est in caelis,
Cum dona, lucra varia
Reportat vir fidelis.
3. In terris in modicis
Gerens se fideliter,
In coelis in maximis
Ascendit sublimiter.
4. Felix Petrus et merito,
Quem Christus, cum venerit,
Pro grege sibi credito
Vigilantem invenit.

5. Laus Deo sit
pro tali famulo,
Quem laudandum
a suo populo
Christus fecit
in omni populo.

Ad Benedictus.

A. Transit praesul
ad coeli solium,
Dux ad sceptrum,
cursor ad bravium,
Mors in vitam,
labor in otium,
Praesens cedit
luctus in gaudium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O praesul eximie,
norma sanctitatis,
Pietatis vasculum,
homo veritatis,
Tua per suffragia
veniam peccatis
Et vitam in gloria
praesta cum beatis.

Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Parisin. 18000. A. — Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. B. — Brev. Tarentasiense imp. Lugduni 1519. C. — In 1. Vesp. Super Ps. A, 3 admirandus A. — R, 8 tunc pro nobis virgo A. — Ad Magn A, 8 sedes ministerii C. — In 3. Noct. R 2, 8 refulget A.

## 78. In Translatione s. Philiberti.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gloriose pastor, Christi
miles invictissime,
Preces nostras, Philiberte,
miserando suscipe
Apud Christum impetrando
nobis locum veniae.

Ad Magnificat.

A. Pastor sancte Philiberte,
templum sancti spiritus,
Tuo pio interventu
malis ab instantibus
Nos defende, nostris poscens
veniam criminibus,
Nostras preces audi, sancte,
indulgendo lapsibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeterno regi
jubilemus corde fideli,
Qui coeli rutilam
Philibertum vexit ad aulam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Indole praecipuus
Philibertus et inclitus ortu
Moribus eximiis
effulsit et actibus almis.

2. Annis bis denis
agili sub dogmate sancti
Militia mundi
spreta fit vernula Christi.

3. Cujus in obsequio
fervebat amore superno,
Se Domino mactans,
hostem virtute triumphans.

4. Cumque chirothecas
quidam sibi subripuisset,
Ejus pro meritis
mox reddi compulit ignis.

5. Extremo vitae
monachus dum jura loquelae
Amisit, sancti
meritis amissa recepit.

6. Dum meterent segetes,
terrentur turbine fratres,
Quem fusis precibus
sedavit mox Philibertus.

Responsoria.

1. Miles Christi Philibertus,
inclitus progenie,
Fulsit spei, caritatis
fideique lampade,
V. Hinc defuncto sancto patre
praelatus in ordine.
2. Dum successit pio patri
in locum regiminis,
Resistentes [ei] Dei
manus ultrix perculit,
V. Unum morte Ariana,
unum ictu fulminis.
3. Causa loci Ebroino
monachus quem dirigit
Febre coepit anxiari,
sed saluti reddidit,
V. Cujus jussu dolor fugit,
sanitas mox rediit.
4. Quidam silvae custos equum
sancti furtim rapuit,
Quem divina coartatus
ultione reddidit,
V. Domum enim nocte suam
cremari conspiciens.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum pincerna suus
crudeli morbo gravatur,
In Domino fisus
famulo tangendo medetur.
2. Daemone cum coepit
quidam monachus cruciari,
Felix confessor
orando fugavit ab illo.
3. Cujusdam casu
monachi colliditur armus,
Quem virtute crucis
medicus reparavit herilis.
4. Solve tuis precibus
nostros, Philiberte, reatus,
Ut Domino digni
reddamus carmina laudis.
5. Sancte Dei, populo,
Philiberte, benignus adesto,
Nos vitiis purgans,
virtutum floribus ornans.
6. Audi, summe pater,
Philiberti festa colentes,
Nos quoque, rex, nostris
miserando lapsibus audi.

Responsoria.

1. Quadam die aegrotavit
serviens languentibus,
Quem curavit solo jussu
sanctus Dei famulus,
V. Vade, inquit, sospes factus
servi aegrotantibus.
2. Cum beatus Philibertus
advenisset Isaram,
Non inventa navi poscit
Domini clementiam,
V. Navis adest fusa prece
nullo ducta remige.
3. Apud quandum dum matronam
mansit Dei famulus,
Tonna vini ministratur,
verum nec minuitur,
V. O quam mira operatur
in sanctis altissimus.
4. Nocte quadam dum oraret,
vidit quidam monachus
Ejus oculos duabus
similes lampadibus,
V. Erant enim inflammati
igne sancti spiritus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Gemma sacerdotum,
Philiberte, decus monachorum,
Christum mente pia
pro nobis sedulus ora.

Responsoria.

1. O divini praeco verbi,
pastor venerabilis,
Philiberte, nos a cunctis
defende periculis,
V. Nostras preces pius audi,
iram placans judicis.

2. Audi, sancte Philiberte,
audi nostros gemitus,
Intercede apud Deum
nostris pro excessibus,
V. Sancte pater, te precamur,
te devote poscimus.

3. Inclite confessor,
Philiberte, Deique sacerdos,
Posce Deum nobis
aeternae dona salutis,
V. Te nimiis precibus,
pastor venerande, precamur.

4. O felicem ac beatum
pastorem ecclesiae,
O praeclarum agonistam
coelestis militiae,
Cui palmam justus judex
contulit victoriae;
V. Nobis, sancte Philiberte,
regem placa gloriae.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. O Philiberte, Dei
sanctissime pastor ovilis,
Fulsisti mundo
signis, nunc lumine coelo.

2. Mnam tibi commissam,
prudenter multiplicatam,
Condignam Domini
meruisti laude superni.

3. Terrea sprevisti
comptus virtutibus almis,
Hinc merito felix
coelesti luce nitescis.

4. Nomen, Christe, tuum
per saecula sit benedictum,
Lumine coelesti
Philibertum qui decorasti.

5. Ferte Deo, sancti,
devotae munia laudis
Cumque Philiberto
precibus nos jungito, Christe.

Ad Benedictus.

A. Lux Philiberte Dei,
radians plus sole diei,
Regem splendoris
contemplans omnibus horis,
Pro nobis vigila,
pulsa, bone pastor, et ora,
Ut sine fine Deum
trinum speculemur et unum.

## In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O decus ecclesiae,
miles Domini Philiberte,
Junge tuis meritis
nos coeli civibus almis.

Ad Magnificat.

A. O quam pius es in sanctis,
Deus admirabilis,
Qui non solum Philibertum
decoras miraculis,
Sed in coelo sempiterni
claritate luminis;
Cujus sancti nos exaudi,
te precamur, meritis,
Protegendo ab adversis
veniam da criminis,
Voces quoque nostras junge
vocibus angelicis.

Brev. ms. Trenorciense saec. 16. Cod. Semin. Aeduen. s. n.

## 79. De sancto Photino.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Lugdunensium
Lux ornans patriam,
Virtutum speculum
Pandens vitae viam,
Qui tam salvifice
Regens ecclesiam
Fide catholica
Dotasti Galliam,
Impetra nobis,
Pater, veniam
Et lucis aeternae
Veram laetitiam
Cum tuis sociis.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Alleluja, lumen vitae,
Regem martyrum
Venite adoremus.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Postquam filius Dei
Ad coelos ascendit,
Per Photinum fidei
Vera lux ascendit
Et fulsit in Galliis.

2. Hic ante Irenaeum
Fuit primus pastor
Urbis Lugdunensium,
Pro fide certator
Nomen Dei praedicans.

3. Verbum vitae seminans
Ecclesiam rexit,
Errores eliminans
Patriam direxit
Ad Dei notitiam.

4. Furoris astutia
Plebis excitatur,
Ut prorsus ecclesia
Domini perdatur
Et ejus memoria.

5. Tormentorum genera
Multa praeparantur
Ad finem, quod aspera
Morte perimantur
Omnes Dei famuli.

6. Hinc pastor cum ovibus
Pro Christo mactantur,
Nec minis nec precibus
Unquam superantur
Neque poenis corporis.

Responsoria.

1. Adest dies laetitiae,
Quo Photinus, ecclesiae
Lux, cum suis sociis
Ab hac valle miseriae
Per summum regem gloriae
Supernis deliciis
Est vocatus.
V. Iste Photinus beatus
Semper fuit Deo gratus.

2. Post Christi ascensionem
Et gloriosam lectionem
Praedicavit fidei
Lugdunensem regionem,
Hortans ad agnitionem
Omnipotentis Dei,
Errores eliminans.
V. Hic verba Dei seminans,
Photinus illuminans.

3. Pontificali culmine
Fulgens divino lumine
Sublimatur humilis,
Ut lumen in caligine
Fulgeret, et in turbine
Probatur laudabilis
Dei servus.
V. Hic nomen Dei praedicans
Publice nullum dubitans.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Infideles corpora
Sanctorum caedebant

Spargentesque viscera
Sanguinem fundebant,
Vincere nec poterant.

2. Quanto magis famuli
Christi cruciantur,
Tunc plus in catholica
Fide roborantur,
Et crescit religio.

3. Quanta fuit impiorum
Et ingens iniquitas,
Corpora sanctorum
Sepeliri prohibens.

Responsoria.

1. Primus pastor primae sedis
Galliarum pavit gregis
Oves sibi creditas,
Constanter mandata legis
Docuit aeterni regis,
Cujus manet veritas
In aeternum.
V. Hunc ornavit et elegit
Rex regum, qui cuncta regit.

2. O venerandum pastorem,
Qui catholicae virorem
Praedicavit fidei,
Infidelium errorem
Exstirpans propter amorem
Omnipotentis Dei
Mori non timuit.
V. Felix pastor
ut fulgida stella
Clare fulgens
in mundi procella.

3. Pro tribunalibus
Sanctus statuitur,
Et impiae plebis
clamor attollitur,
A circumstantibus
ictibus premitur
Bonus pastor.
V. Ab impiis
pius affligitur,
Sed sperans in
Deo non flectitur.

## In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Quanto magis poterant
sanctum cruciare,
Tanto credebant deos
suos vindicare,
Et nisi sic facerent,
graviter peccare,
Se ipsos non poterant
ex hoc satiare
Tyranni furentes.
V. Qui praesulem comprimebant,
Ictibus ictus addebant.

2. Corporibus,
qui in carceribus
Interibant,
deditis canibus,
Sepultura
missis custodibus
Denegatur
extremis ossibus
Sanctorum martyrum.
V. Lacerata
jacebant corpora,
Sanguis fusus
et sparsa viscera.

3. Felix pastor,
coeli deliciis
Qui congaudes
cum tuis sociis,
Ut mundemur
a cunctis vitiis
Et fruamur
aeternis gaudiis,
Intercede pro nobis.
V. O felix societas martyrum
Quam elegit conditor siderum.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beatus Photinus
cum suis sociis
Martyrio datur
a [viris] impiis
Pro Christi nomine.

2. Horum quidam
dati sunt bestiis,
Quidam carceribus
et quidam gladiis
Et ignis incendio.

3. Antonini
Veri temporibus
Ecclesiae
multis generibus
Fuit persecutio.

4. Sed dum credit
eam destruere
Et a fide
sanctos retrahere,
Tunc crescit religio.

5. Lugdunensis
nobilis regio,
Tot militum
Christi martyrio
Decorata.

Ad Benedictus.

A. O beate pastor,
qui pavisti
Salubriter oves
gregis Christi.
Pro quo mortem
pati voluisti
Et aeternam
vitam recepisti,
Impetra nobis
vera gaudia
Cum sociis
tuis, Alleluja.

Brev. Athanatense imp. in Coenobio Athanatensi 1520. — In 1. Noct. **A** 5, 3 Ad fidem. — **R** 4 prosaisch. — In der 2. Noct. sind 3 **AA** die ungeraden und 1 **R**, das erste, prosaisch. — In der 3. Noct. ist die **A** ad Cantica und das erste **R** prosaisch. — **R** 1, 9 furientes. — **R** 2, 1 Corporibus illorum. — **R** 2, 2 in fehlt. — **R** 2, 10 Lacerata sancta. — **R** 2, 12 Sanguis sacratus. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** wie in der 1. Vesp.

## 80. De sancto Piato.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Clara patris nostri
celebremus festa Piati,
Quae resonant toto
populis insignia mundo.

2. Regia coelestis
exsultans perstrepet omnis,
Ad superos sanctum
digne migrasse Piatum.

3. Est igitur dignum,
nos exorare Piatum,
Ut faciat Domino
condignos esse superno.

4. Ergo preces coelo
praesentans, martyr, in alto
Fac, ut in aeternum
valeamus vivere tecum.

5. Jam Domino vivens
et summa pace quiescens,
Ora pro famulis,
sancte Piate, tuis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Insignis Beneventana
tellure Piatus
Claris effulsit
mundo natalibus ortus.

2. Felices sanctum
patres genuere Piatum,
Qui Christum corde
toto dilexit habere.

3. Crevit adolescens,
pueriles vicit et annos,
Moribus eximiis
totum se rite perornans.

Responsoria.

1. In tellure Beneventi
claris ortus patribus,
Insignis mundo Piatus
sacris fulsit moribus,
V. Mox puer Christum sequendo
admirandis nisibus.

2. Post adultus vilipendit
vanam mundi gloriam,
De suis nihil reservans
praeter vestem simplicem
V. Et, quaecunque possidebat,
dans fomentis pauperum.

3. Romam pergit jam vir exstans
illic et conjungitur
Dionysio suisque
sanctis consodalibus
V. Et nitentium virorum
lumen auget additus.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Caesar ut audivit
populos divina docere,
Praecepit gladio
caput ejus ut amputaretur.

Responsoria.

1. His profectis praedicare
Christum genti Gallicae
Tornacum Piatus urbem
se direxit inclitus,
V. Cum Parisius beatus
iret Dionysius.

2. Ergo diffundendo late
sancta verbi semina
Christo convertit virorum
ter decena milia
V. Praeter parvos et secundi
sexus turbam maximam.

3. Gemmis inter haec corruscans
virtutum miraculis,
Edomabat parcitate
dura vires corporis,
V. Ut frangendo roboratus
hosti non succumberet,
Quem misellis incumbantem
debellare venerat.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Martyris ad sancti
veniunt quicunque sepulchrum,
Ipsius meritis
toto a languore levantur.

2. O martyr Domini
Christi, verande Piate,
Sis nobis clemens,
quamvis non corpore praesens.

Responsoria.

1. At Caesar Maximianus,
virulentis auribus
Ut famam sancti Piati
hausit de magnalibus,
V. Comprehendi jussit eum
ad necandum protinus,
Si non vellet idolorum
applicari cultibus.

2. Ille militare promptus
atque vinci nescius,
Nexus vicit, flagra vicit,
vicit omnes impetus,
V. Decollatus namque tandem,
laeto coetu martyrum
Palmam gessit laureatus
ad coeli palatium.

3. Dumque gleba conderetur
pretiosi martyris,
Fusus est odor superni
circum crura nectaris,
V. Ne quid mundus haesitaret
de salute spiritus,
Cujus carni comprobaret
deserviri coelitus.

Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 12. Cod. Carnoten. 579. A. — Brev. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XXI. B. — Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Tornacen. XXIII. C. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisin. 1053. D. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Carnoten. 563. E. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Carnoten. 576. F. — Brev. Tornacense imp. 1497. G. — In 1. Noct. A 2, 2 parentes G. — In 2. Noct. R 1, 3 Tornacensem G. — Der vorstehende Text ruht auf den Brevieren von Chartres und Turnai, die im ganzen übereinstimmen, nur fehlen in ersteren die AA der 1. Vesper, in letzterem das 3. R der 3. Noct., das durch ein prosaisches ersetzt ist, während das 3. R der 2. Noct. in 1. Vesp., an seiner Stelle ein anderes prosaisches R steht. A hat als Klosterbrevier monastische Einrichtung und ist daher noch mehr mit prosaischen Teilen vermischt. Die Responsorien der drei Nocturnen stehen in eben dieser Ordnung, aber schrecklich entstellt unter den Werken Fulberts von Chartres. Falls diese Attribution richtig, ist er entweder der Verfasser des Officiums, oder der Verfasser dieses hätte seinen Hymnus benutzt.

## 81. De sancto Privato.

### In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Praesens hortatur gaudium
Oris solvi silentium,
Privati cum solemnia
Anni reduxit orbita.

Ad Magnificat.

A. Aeterno regi pariter
Agamus omnes gratias,
Privati sancti martyris
Adest praesens solemnitas;
In festo hujus militis
Laudetur rex altissimus,
De regis quoque laudibus
Miles exsultet extremus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum altissimo
Laudes canamus Domino,
Qui Privatum antistitem
Coeli fecit participem.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Antiquo quodam tempore
Rei praeerant publicae
Valerianus impius
Et Gallienus socius.

2. Amborum sub imperio
Exorta est seditio,
Ipsorumque nequitia
Confusa est ecclesia.

3. Cultores Dei capiunt,
Captos poenis afficiunt,
Afflicti per supplicia
Coeli migrant ad atria.

Responsoria.

1. Solemnitatem martyris,
Sancti Privati praesulis,
Psallamus cordis vocibus,
Dignis agamus laudibus,
Qui carnis per martyria
Poli regnat in gloria;
V. Favorem vitans populi
Ante conspectum Domini
Studebat preces fundere
Pro subditorum requie.

2. Montis manens tugurio
Orabat jugi studio,
Corpus domans jejuniis
Praecedebat solemniis,
Docere prolem subditam,
Rectam tenere semitam.
V. Quam alloquens sermonibus
Post peracta colloquia
Grata petit latibula,
Vita fovet et moribus.

3. Biennium transierat,
Quo plebs obsessa fuerat,
Cum fama prodens detulit,
Quod barbaros non latuit,
Pontificem sanctissimum
Non esse inter populum;
V. Ad exquirendum igitur
Coetus malignus mittitur,
Privatum ut exhibeat
Suisque captum proferat.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cornelius quidem Romae,
Cyprianus Carthagine
Tunc laureati martyres
Effecti vitis palmites.

2. Alamanorum populus,
Sub Croco rege positus,
Plures vastans provincias
Urbes subintrat Gallicas.

3. Barbarus hostis saeviens,
Gabalitanum irruens
Parabat omnes perdere
Deos nolentes colere.

Responsoria.

1. Privatus orans saxea
Inventus est in cavea,
Ducitur in monticulum
Mimati vico proximum,
Hortatur per interpretem
Ad plebis interniciem;
V. Minis monent et precibus,
Ut fiat hostis civibus,
Quos Deus liberaverat,
Subjectas eis proferat.

2. Sanctus praesul intrepidus
Sic respondit gentilibus:
Miror vestram prudentiam
Tantam fari stultitiam,
Ut me dicatis perdere,
Quos debeo eruere;
V. Non est dignum vel competens,
Ut liber fiat serviens,
Et quae mihi consulitis,
Haec non sunt mei ordinis.

3. Fustibus ergo caeditur,
Dehinc ad vicum ducitur,
Gentiles aras instruunt,
Quae sceleratis congruunt,
Ut thura det daemonibus,
Monetur vir egregius.
V. Componunt sacrificia
Legi nostrae contraria,
Ad exsecrandam rabiem,
Invitant Christi praesulem.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christianorum populi,
Colentes nomen Domini,
Gredonem montem possident,
Quos Alamanni obsident.

2. Quem occidebat carnifex,
Erat populi pontifex,
Privatus tunc sanctissimus,
Vir moribus eximius.

3. Hic sedem, quam habuerat,
Mimati jam reliquerat,
Rupem cavatam habitans,
Terrenis nullis inhians.

Responsoria.

1. Divina fretus gratia
Privatus inquit talia:
Quae semel dixi, credite,
Aut quidquid vultis facite.
Insurgunt hostes acrius,
Plagis, flammis ardentibus,
V. Novo poenarum genere
In patris fremunt funere;
Constantia pontificis
Fit fortior suppliciis.

2. Lictores lassi denique,
Cum nil possint proficere,
Sanctum Privatum martyrem

Relinquunt jam exanimem;
Pace facta cum civibus
Hostilis cedit cuneus.
V. Egressi cives protinus
Patris volvuntur genibus,
Inflicta lambunt vulnera,
Oscula dant innumera.

3. Miles Christi laudabilis,
Privatus, martyr nobilis,
Inter fletus plangentium
Coelo reddidit spiritum,
Quem digne sub terrenea
Plebs sepelivit fovea;
V. Carnis solutus vinculis
Intercedat pro famulis,
Ut per ipsius merita
Regnemus super sidera.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Festum diem recolimus,
Quo martyr Dei inclitus
Post cruciatus corporis
Conjunctus est coelicolis.

2. Qui dum viveret saeculo
Deo gratus et populo,
Florebat ejus sanctitas,
Carnis et mentis castitatis.

3. Gratia morum praeditus
Arverno fuit editus,
Privatus dictus nomine,
Privatus exstans opere.

4. Sermone quidem rutilans,
Voce vita non discrepans,
Caute regebat subditos
Actus frenans illicitos.

5. Sancte Private domine,
Defende nos a crimine,
Ut per tua suffragia
Vehamur ad coelestia.

Ad Benedictus.

A. In laudem tanti martyris
Tellus exsultet et gaudiis,
De cujus transitu sacro
Coeli laetatur concio;
Privatus enim hodie
Exuto carnis onere
Supernum intrat atrium,
Magno ditatus munere
Excipitur ab angelis,
Stola vestitus gloriae,
Corona fulget aurea,
Quae est signum victoriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O venerande pontifex,
Private, pater clebris,
Famulos tuos erue
A mundi hujus tenebris
Nostrorum enim premimur
Peccaminum gravamine,
Unde tuo deposcimus
Suffragrari munimine,
Ut cum agnorum fuerit
Ab hoedis separatio,
Nos adunari facias
Beatorum collegio.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 277. B. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. C. — Apographum Bollandianum D. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 2 Agimus B. — Ibid. 3 sancti Privati BC. — Ibid. 5 cujus B. — Ibid. 8 exsultat A. — Invit. 2 Laudes fehlt. A. — Ibid. 4 fecit principem C, fecit et principem A. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Memmio Romae consule D. — **A** 1, 4 Galianus A. — **A** 3, 1 Custodes Dei B, cupiunt C. — **A** 3, 2 Raptos A. — **R** 1, 4 agamus mentibus A. — **R** 1, 5 sq. fehlen AB. — **R** 4, 9 Studebat fehlt A. — **R** 2, 3 jejunio A. — **R** 2, 4 solemniter A; solemnis B. — **R** 2, 7 Colloquens A. — **R** 2, 8 Vita fehlt A. — **R** 3, 1 Eremum transierat A. — **R** 3, 2 Quod plebs AC; obstata A, obcessa C. — **R** 3, 4 Quos A. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Laurentius quidem D. — **A** 1, 4 Sunt

facti BC; Facti sunt D. — A 2, 1 Allemannorum C. — A 2, 2 Sub caeco rege A. — A 2, 4 Subintrant B; Gallias AC. — A 3, I hostes A. — A 3, 2 Gabalitanum vinciens A; in Gabalum ferox ruens D. — A 3, 3 Sperabat omnes A. — R 1, 3 in moli titulum A. — R 1, 4 Numaci A, Numati B. — R 1, 5 Oratur A. — R 1, 6 Ad ovium perniciem D. — R 1, 10 Subjectas ei proficeret. — R 2, 2 Respondit sic BCD. — R 2, 3 nostram prudentiam A, mundi prudentiam D. — R 2, 4 Tanti fari stultissimam A. — R 2, 5 credatis D. — R 2, 6 Quos Deus vult eruere BCD. — R 2, 10 Non fiunt mei A. — R 3, 3 instruit A. — R 3, 4 fehlt B; congruit A. — R 3, 7 Componant A; Componuntur B. — R 3, 8 Regi martyr contraria. — R 3, 9 exsecrandum A. — R 3, 10 Invitavit A. — In 3. Noct. A 1, 3 Gredova B. A 1, 4 Quod elevatum obsident. A. — A 2, 1 obsidebat D. — A 3, 1 quam habuerat fehlt B. — A 3, 2 Numati B. — R 1 fehlt D. — R 2, 1 Lictores loci A. — R 2, 8 Patris nolunt gentilibus A. — In Laud. A 3, 2 Averno BD. — A 4, 2 Vox a vita D. — A 5, 4 Vehans B. — Ad Bened. A, 3 sacro transitu B; Cujus sacrato D. — Ibid. 12 Quod est D. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 7 Juste tuo B; Junde tuo A. — Ibid. 11 adjuvari B. — D enthält eine Reihe von Sequenzen und Reimgebeten Alberts III von Mende zu Ehren des hl. Privatus. An dieselben schliefst sich dies Officium. Der Verfasser der Lieder und dieser Historia kann aber nicht ein- und derselbe sein, das bezeugt die verschiedene Behandlung namentlich des Reims dort und hier.

## 82. De sancto Raphaele.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Raphael archangele,
Nostrae salutis medice,
Vota tuorum suscipe,
Deum pro his precare assidue,
Quod peccatis possint carere
Et dono perfrui perpete.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summi patris filium
Adoremus Dominum,
Qui mundo archangelum
Raphaelem dedit languido.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. En Raphael archangelus,
Salutis nostrae medicus,
Medelam aegrotantibus
Qui novit ferre coelitus.

2. Hic namque sordes hominum
Prece tergit peccaminum,
Ut athleta fortissimus
Depellit hostem longius.

3. Cujus caeci medicina
Illuminantur divina,
Cujus habentes solatio
Nempe laeti sunt jubilo.

Responsoria.

1. In hac aula Dei
Lumen vitae percipite, caeci
Et qui sine divino estis lumine,
Ad salutaris medicinam currite.
V. Ejus opem quaerite,
Ut sibi vivamus perpete.

2. Hic est Raphael archangelus,
Salutaris noster medicus,
Qui medicinam omnibus
Novit ferre coelitus,
V. Cujus protecti auxilio
Liberemur ab hoste maligno.

3. Nos, medicus orbis,
A nexu solve mortis
Et sis hic hospes
Terendo fortiter hostes,
V. Tuo freti munimine
Coelo possimus vivere.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nos, medice orbis,
A nexu solve mortis
Et sis hic hospes
Terendo fortiter hostes.

2. Salva, defende, protege,
Salutum nostrarum medice,
Quos, pie sator optime,
Tuo redime sanguine.

3. Esto nobis semper, archangele
Fidissime, sodalis unice,
Quo nos ad patris gratiam
Ovantes ducas inclitam.

Responsoria.

1. Hujus Tobis suffragio
Lumen sumpsit in Domino,
Quem ejus medicina
Sanavit virtus divina.
V. Esse videbatur, quod non erat,
Et non esse, quod erat.

2. Nos, Raphael archangele,
Tuo sacro defende munimine,
Ut Deo vivamus libere,
V. Ad coelos virtus divina
Tua ducat medicina.

3. Tuo freti munimine,
Nostrarum salutum medice,
Nos a mortis solve laqueo
Sacrae medicinae merito,
V. Alis tuis protege,
Quo signati simus in aethere.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nos, pervigil medice,
Custodi, Raphael, assidue,
Quo cum sanctis vivere
Possimus cuncti inclite.

2. Leviathan gurgitibus
Nos sacris trahe precibus
Atque supernis
Conjunge coetibus.

3. Tuo medicamine
Contritionem admone,
Ut angelico munimine
Convivamus in aethere.

Responsoria.

1. O vitae gemma inclita,
Virtute salva nos uranica,
Quatenus coelesti solio
Angelorum simus jubilo,
V. Cum ipsis cantantes gloriam
Deo patri hymnidicam.

2. Hic sordes hominum
Prece tergit precaminum
Et ut athleta fortissimus
Depellit hostem longius,
V. Leviathan gurgitibus
Tuos trahe precibus.

3. Te nunc precamur, archangele,
Vocibus nostris annue,
Precatus tui adjuvent,
Ne nos reatus maculent,
V. Acceptis votis supplicum
Pectus medere languidum.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Missus est angelus Raphael,
Nostrae salutis medicus,
Ad Tobiam, Dei famulum,
Sacris actibus assiduum.

2. Quam virtus divina
Ejus sanavit medicina,
Nam ejus medicamine
Est luci datus libere.

3. Hujus Tobias suffragio
Uxorem duxit tripudio,
Munimine angelico,
Legum juris titulo.

4. Hic hominis effigie
Videbatur omnino
Sodali adminiculo
Famulantis obsequio.

5. Laudent cuncti Dominum,
Qui nobis salutis medicum
Raphaelem dedit archangelum.

Ad Benedictus.

A. Humanae salutis medice,
Sancte Raphael archangele,
Languores nostros amove,
Ut tecum omnes vivere
Possimus semper aethere.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Parisin. 1261. A. — Brev. Forojuliense imp. Taurini 1495. B. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 5 Quo peccatis B. — In 1. Noct. **A** 1, 4 Qui nova ferre **A**; Qui fehlt B. — **A** 3, 1 sq. medicina illuminantur caeci AB. — **A** 3, 3 Cujus haerentes B. — **R** 1, 2 percipite coeli A. — **R** 2, 4 Nova ferre A. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Salve A. — **A** 2, 3 Quod piis A. — **R** 1, 5 Ecce A. — **R** 2, 5 perducat A. — **A** 3, 1 munere B. — In 3. Noct. **A** 2, 1 gurgibus B. — **R** 1, 6 hymnum dicatur A. — **R** 3, 3 adjuvet B. — **R** 3, 4 maculet B. — In Laud. **A** 2, 3 Cujus medicamine B; Nam cum medicamine A. — **A** 3, 1 Thobiae A, Thobi B. — **A** 4, 3 De sodali aniculo A. — Ad Bened. **A**, 5 super aethere A.

## 83. De sanctis Reliquiis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Vexilla regis gloriae
Militantis ecclesiae
Laudibus attollantur,
Per quae de mortis nexibus
Mortis confractis viribus
Fideles liberantur.

2. Carnis indutus trabea
Corona Christus spinea
Pro nobis coronatur,
Haec est praeclara galea,
Quam hostis horret framea
Et cadens hebetatur.

3. Cruci, coronae spineae
Sacraeque ferro lanceae
Honorem impendamus,
Haec sunt vexilla regia,
Per quae coronae gaudia
Perpetuae speramus.

4. Vitalem Christi sanguinem,
Catenam et arundinem
Devote veneremur,
Sacram colentes spongiam
Ab ipso nobis gratiam
Collatam meditemur.

5. Lac gloriosae virginis,
Lac immensae dulcedinis,
Lac sanctum honoretur
Nec non et pepli portio,
Ut sic matri cum filio
Lux praesens dedicetur.

R. Te, Christe, laudent supera,
Terra, pontus et aethera,
Quaecunque condidisti,
Patris sedens in dextera
Qui nobis salutifera
Vexilla tribuisti,
V. Nobis remitte scelera,
Patrique nos confoedera,
Pro quibus haec tulisti.

Ad Magnificat.

A. O Christo plebs dedita,
Tot Christi donis praedita
Jucunderis hodie,
Tota sis devota,
Erumpens in jubilum
Depone mentis nubilum,
Tempus est laetitiae
Cura sit remota.

Ecce crux et lancea,
Clavus, corona spinea,
Arma regis gloriae
Tibi commendantur,
Omnes terrae populi,
Laudent auctorem saeculi,
Per quem tantis gratiae
Signis gloriantur.

## Ad Matutinum.

### Invitatorium.

Regi, qui regit omnia,
Christo confiteamur,
Sacra cujus insignia
Redempti veneramur.

## In 1. Nocturno.

### Antiphonae.

1. Reges ut vasa figuli
In fine confringentur,
Qui summi regis aemuli
Crucem non reverentur.
2. Adversus Dei filium
Multi insurrexerunt,
Et nocentes innoxium
Cruorem effuderunt.
3. Beati, quorum oculi
Praesentes contemplantur,
Quae tot terrarum populi
Absentes venerantur.

### Responsoria.

1. Lux, ecce, fulget hodie
Magnae solemnitatis,
Laudum litentur hostiae
In ara puritatis,
Ne tantae dona gratiae
Auferantur ingratis;
V. Laete psallant ecclesiae
Laudantes regem gloriae
Pro donis sibi datis.
2. In Phase quod praecipitur
Moyses immolare,
Sub agni typo creditur
Lex Christum designare,
Cujus sanguis effunditur
In Phase salutare.
V. Hoc aspersus non laeditur,
Nam ad eum non sinitur
Percussor penetrare.
3. Christus in patris vinea
Pro nobis vapulavit,
Dum fructum gens erronea
Petitum denegavit,
Insontis latus lancea
Crudelis perforavit.
V. Felix est cuspis ferrea,
Qua confossus a framea
Fideles liberavit.

## In 2. Nocturno.

### Antiphonae.

1. Catenae, qua gens impia
Ligavit salvatorem,
Devotum cum laetitia
Impendamus honorem.
2. In tua, Jesu, requie
Nos tecum gaudeamus,
Cujus pannos infantiae
In terris honoramus.
3. Ex Christi tacta facie
Tabella consecrata
Habetur reverentiae
Christicolis collata.

### Responsoria.

1. Aeterni tabernaculi
Rex et redemptor saeculi
Vilescit insensatis,
Indutum forma servuli
Spinis coronant aemuli
Dominum majestatis,
V. Haerent in carne stimuli,
Spinarum sordes populi
Fert liber a peccatis.
2. Amici crucis, plaudite,
Qui crucem profitemini
Salutis instrumentum,
Trophea crucis pangite,
Per crucem datur homini
Victoriae crementum.

V. Adversae partes, fugite,
Sumant ministri Domini
Laetitiae concentum.

3. Crucis instet praeconiis
Clerus, quem Christus sanguine
Effuso consecravit,
In cujus pendens brachiis
Pro mundi se peccamine
Piaculum donavit;
V. Sic pius se pro impiis
Exponens sine crimine
Supplicium portavit.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nos tecum, judex saeculi,
Fac demum gloriari,
De parte tui tumuli
Quos modo das laetari.
2. Praeclaro Christus sanguine,
Servos suos ditavit,
Qui de ejus imagine
Percussa emanavit.
3. Digne chorus fidelium
Linteum veneratur,
Quo redemptorem omnium
Praecinctum attestatur.

Responsoria.

1. Dies festa
movet ad gaudium,
Christi colens
cruorem proprium,
Pannos, sceptrum,
coronam, pallium,
Partem tumbae,
crucem, sudarium.
V. Felix dies his ditata,
Quae tot habet Dei grata.

2. Dum leonis immanitas
Latet sub agni vellere,
In insontem atrocitas
Insanit prolis viperae,
Justi latus iniquitas
Letali fodit vulnere;
V. O mira ferri sanctitas
Quod vibratur hoc latere,
Quo vulnerata caritas
Satisfecit pro scelere.

3. Baptistae calvaria,
Simeonis, Blasii
Et Clementis capita
Signa sunt amoris;
Adsunt et donaria
Pepli, lactis proprii,
Quae prasentat inclita
Mater salvatoris
V. Gaudeat ecclesia
Memor beneficii
Tantis donis praedita
Nostri redemptoris.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Donis praeclaris praediti
Thesauri nobis crediti
Veneremur auctorem,
Qui nobis arma contulit,
Quibus humani perculit
Generis opressorem.
2. Haec lux cum laetitia
Celebris agatur
Et in Christi gloria
Prorsus expendatur.
3. Jesu, redemptor saeculi,
In ejus semper seduli
Praeceptis vigilemus,
Ne segnes operarii
Frustremur spe denarii,
Cujus pignus tenemus.
4. Facta Dei dextera
Benedicant opera
Cuncta creatorem,
Qui dat nobis munera
Ad sananda vulnera
Crucem et cruorem.
5. Terrae reges et populi
Laudent omnes et singuli
Sedentem supera thronum,

Cujus immensa datio,
Ipse sit consummatio
Et laudis et sermonum.

Ad Benedictus.

A. Ortus ante saecula
Nos in servi formula
Christus visitavit,
Nobis dans signacula,
Quibus dirae vincula
Mortis dissipavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Jesu, fidelium
Spes et gloriatio,
Per quem tot magnalium
Plebs tua deposito
Digne gloriatur,
Firma fidem mentium,
Crescat et dilectio,
Da speratum gaudium,
Quo pro vitae merito
Te dante fruatur.

Alia Antiphona.

O Jesu, rex omnium,
Finis et principium
Nostrae solemnitatis,
Post festa temporalia
Nos perducas ad gaudia
Tuae perennitatis.

Brev. ms. Johannae Ebroicae, reginae Franciae † 1371 (in Privatbesitz). A. — Brev. ms. Xanctonense saec. 15. Cod. Parisin. 13233. B. — Brev. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisin. 13239. C. — Merkwürdigerweise hat dies Officium auch in C nicht die monastische Form wie die andern Officien dieses Breviers; dagegen weicht die Stellung der einzelnen Teile von AB bedeutend ab. — In 3. Noct. **A** 1, 3 De cujus parte tumuli *B*. — **R** 3 fehlt B, velches das **R** Te Christe laudent supera wiederholt. In derselben Noct. hat C an zweiter Stelle ein **R**, welches AB nicht kennen:

Hac clara die cantica
Cum dulci pange modulo,
Ecclesia justorum,
Laudes crucis multiplica,
Ex crucis crescit titulo
Gloria redemptorum;
V. In hac mundi spes unica
Donavit se pro populo
Manibus iniquorum.

## 84. De sancto Roberto.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Pater et lux monachorum,
Dux Roberte, tibi chorum
Servientem tua prece
Terge, munda sordis faece.

2. Noster sancte dux, Roberte,
Fac nos mundum spernere,
Ut possimus regem per te
In decore cernere.

3. Qui servasti fidem regi,
Tuo feras opem gregi,
Ut a rege possit regi,
Nam ad haec ejus loca.

4. Es et eris in aeternum
Benedictus, qui supernum
Regem fide coluisti,
Serva nos in lege Christi.

R. In coelo Roberte pater
sine tempore gaudes,
Regnans cum Christo
servorum suscipe laudes,
V. Coelis susceptus,
Roberte, tuis miserere.

Ad Magnificat.

A. Sanctificetur, Domine,
Nomen tuum sine fine,
Qui Robertum coaequasti
Sanctis tuis et locasti
In supernorum sedibus
Jungens coelorum civibus.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Nomen Christi confitentes
Huic offerte puras mentes,
Qui Roberto regna vitae
Dedit, vota persolvite.

## In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tuum, Christe, gregem rexit
Hic Robertus et dilexit
Legem docens gratiae,
Sed docendo fructum dedit
Vir beatus et non sedit
Sede pestilentiae.

2. Adveniat tuum, Christe,
Regnum, ut docuit iste,
Sancto monte constitutus,
Fit hic mundus destitutus.

3. Regnum mundi quia sprevit,
In virtutis verbo crevit,
Invocantem exaudivit
Illum, Christus, cum quo vivit.

4. Tuum, Deus, ad honorem
Proclamamus, tu clamorem,
Pie rex, intellige,
Nostram viam dirige
Atque fessis post laborem
Manum tuam porrige.

5. Fiat tibi nostrum melos,
Rex Deus, acceptabile,
Nam terra superque caelos
Nomen tuum mirabile.

6. Voluntas tua bona nemini
Nocet sed prodest [omni homini],
Bonum in Domino confidere
Et in Christo spem [suam] ponere.

Responsoria.

1. Tua, Christe, sunt opera,
Quod Robertus ut aridum,
Despexit mundum floridum.
Talentis sibi creditis
Multiplicatis meritis,
Jam translatus in aethera
Aeterna capit munera.

V. Sicut stella claruit
Mundo sanctus hic
Et ut palma floruit
In domo Domini.

2. In sanctis es laudabilis,
Majestate mirabilis,
Deus, creator omnium,
Jungis turbis fidelium
Robertum tuum famulum,
Ut fulgeat in saeculum;

V. Coelo sanctos laetificas
Et in terris mirificas.

3. Et Deus est et homo,
Qui cuncta creavit,
Qui in superna domo
Roberto paravit,
Sedem cum principibus;
Hic nos suis precibus
Paratas nobis sedes
Ducat ut haeredes
Ad aeternas aedes.

V. In domum Domini
Laetantes ibimus,
Si huic sancto homini
Fide adhaeserimus.

4. Terra nostra dedit florem
Et flos fructum, dat odorem
Fructus ante Dominum,
Est Robertus fructus iste,
Qui expendit vivens, Christe,
In te vitae terminum.

V. Panem angelorum
Sic homo comedit
Et in via morum
Nobis formam dedit.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nostrum Deum, nostrum lumen,
   Roberte, sine macula,
   Contemplaris Christi numen,
   Cum quo regnas per saecula.
2. Quotidianum petimus
   Panem, Christe, sed vivimus
   Non in pane corporali
   Sed in verbo spiritali.
3. Da sustinentibus
   Te pacem, Domine,
   Roberti precibus,
   Cujus regimine
   Ad te confugimus
   Et salvi erimus.
4. Nobis sancti spiritus
   Adsit sancta gratia
   Nostra purgans vitia,
   Et idem paraclitus
   Amoveat penitus,
   Quae sunt nobis noxia.
5. Hodie,
   Dux Roberte praevie,
   Roga regem gloriae,
   Ut tuae familiae
   Largiatur veniae
   Munus atque gratiae.
6. Et si non meruimus,
   Habere Christum Dominum,
   Quem culpis offendimus,
   Regem regum omnium,
   Tamen simus certi
   Precibus Roberti,
   Si nos correxerimus,
   Quod salvati erimus.

Responsoria.

1. Dimitte nostra debita,
   Rex pie, rex fortis,
   Nam submisimus capita
   Jugo tuae sortis,
   Transire portas mortis
   Fac per Roberti merita
   Et duc ad loca inclita
   Angelicae cohortis.

V. Nobis peccatoribus
De te confitentibus
Pacem da cum sanctis.

2. Debita
   Relaxa, nos visita,
   Habita
   In nobis et in solita
   Pietate cogita
   De nobis Deus ita,
   Ut semper sint placita
   Tibi nostra merita,

V. Nostra crimina
Deleant precamina,

3. Sicut matutina stella
   Vir Robertus claruit
   Et ut apes nobis mella
   Laborando praebuit
   Et hostis antiqui bella
   Vicit et praevaluit,
   Mundi hujus nec procella
   Ipsum unquam terruit,

V. Et Deus his meritis
fuit, est et erit sibi mitis.

4. Nos qui sumus in hoc mundo
   Vitiorum in profundo,
   Studeamus corde mundo,
   Ut in adventu secundo
   Parati et tales simus,
   Quod peccata, quae gessimus,
   Judex dimittat opimus.

V. *Dimittimus debitoribus nostris, quae in nobis peccaverunt.*

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Debitoribus jubemur
Dimittere et docemur
In scientia morari
Et in sensu meditari.

Responsoria.

1. Nostris parce reatibus
   Nos protegens in omnibus,
   Deus, plasmator hominis,
   Atque Roberti precibus
   Adauge nostris sensibus
   Amorem tui nominis,

V. Et quia tui sanguinis
Sumus redempti pretio,
Coelesti tui numinis
Nos fove beneficio.

2. Ne nos Deus despicias,
Sed pro nobis exaudias
Robertum tuum famulum,
Nec scelerum memineris,
Cum judicare veneris
Districte judex saeculum.

V. Nos, Deus, de vitiis
enim sancti precibus munda.

3. Inducas, Christi famule,
Roberte, nos, ut regulae
Formam datam teneamus,
Et te sequi valeamus
Illuc per rectas semitas,
Ubi jugis est claritas.
Regnat pax, vita, veritas.

V. In perenni gloria
Christus ducat secum
Nos, Roberte, gaudia
Vitae donans tecum.

4. Tentationem fugiant
Mundi foedentes turbine,
Ne scelerum voragine
Obvoluti deficiant,
Sed agni fontem sitiant,
Cujus redempti sanguine
Sunt, ut potum suscipiant,
Divini fontis flumine;

V. Sed felix, qui sic hauriet
De fonte, quod non sitiet
Amplius nec esuriet.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Libera, Deus omnium,
De manu persequentium
Tibi devotos famulos,
Roberti preces, audias
Ut super nos aperias
Misericordes oculos.

2. Nos peccatis facti rei
Sic quaeramus opem Dei,
Ut in locis requiei
Assistentes simus ei.

3. A poenis liberabimur
Quibus sumus certi,
Si facta Roberti,
Quem honore prosequimur,
Bene vivendo sequimur.

4. Malo mali irritus,
Homo, vanis deditus,
Benedicas Domino,
Tibi patet aditus
Regni sine termino,
A quo prior exitus.

5. Amen laudis dicant gentes
Patri, nato cum flamine,
Unitatem confitentes,
Non tres in trino nomine.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
pater ingenitus,
Benedictus
a patre genitus,
Benedictus
amborum spiritus,
Benedicta
unius trinitas,
Benedicta
sit trium unitas;
Amplexetur
hanc nostra pravitas,
Ut docuit
Roberti caritas.

## In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. A benigno creatore
Datum est fidelibus,
Gaudere hic imitando
Caritatem laudabilem
Monachorum;
Nos omnes petimus,
Quod Roberti sanctissimi
Tenendo viam
Christum hymnis
Laudemus et titulis.

Brev. ms. Cisterciense (Molismeuse?) saec. 14. Cod. Parisin. 1344. A. — Suppl. Antiph. Hilarien. anni 1632. Cod. Hilarien 5. B. — B enthält nur die beiden Vespern. — In 1. Noct. **A** 6, 1 nemini ergänzt. — **R** 1, 9 Claruit mundo A. — In 2. Noct. **A** 6, 1 si ergänzt. — **A** 6, 2 Dominum ergänzt. — **R** 1, 6 per ergänzt. — **R** 2, 2 Relaxatis A. — In 3. Noct. **R** 1, 2 porrigens A. — **R** 2, 3 tuum ergänzt. — **R** 4, 7 Sunt ergänzt. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 7 sq. Quod Robertus sanctissimus meruit, Christum B. — Ibid. 9 Christum ignis A.

## 85. De sancto Romano.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater humilium,
Medela languentium,
Lima pravitatis,
Moestorum solatium,
Fidei praesidium,
Doctor veritatis,
Transfer nos ad gaudium,
In quo Dei filium
Vides cum beatis.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeternum trinumque Deum
laudemus et unum,
Qui sibi Romanum
tvansvexit ad aethera sanctum.

### In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Clara stirpe ac regali
orta proles inclita,
Vernans mentis puritate
ac virtutum lampade,
Fulsit orbi velut stella
inter mundi lumina;
V. Cujus ortum atque nomen
vox praedixit coelica,
Quod post sacri confirmavit
baptismatis gratia.

2. Exorant Rotomagenses
orbati pontifice,
Ut Romanus subrogetur
eorum ecclesiae,
Sic pontificali dignus
sublimatur apice;
V. Favent rex et optimates
his petitionibus,
Erat enim vir perfectus
cunctis sanctis moribus.

3. O praeclare miles Christi
admirandi meriti,
Nasciturum genitori
quem praedixit angelus,
Ut ad regnum renascamur,
adjuva, perpetuum,
V. Ut quos terra culpa stratos
edidit miseriae,
Tua prece relevatos
reddas coeli gloriae.

### In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Felix pastor ac felici
praepollens munimine,
Regionem ne vastaret,
imperavit Sequanae,
Quae vicina occupabat
redundanti gurgite;
V. Vir beatus mox ut jussit,
aqua sibi paruit
Ac artata in se suum
exitum compescuit.

2. Prope urbem fanum valde
civibus incommodum
Adventu suo destruxit
verus cultor fidei
Circumquaque nec non cuncta
conquassavit idola;

V. Fana quoque Dei templa
dum solerter consecrat,
Animas deceptae plebis
sedes Dei praeparat.

3. O sidus pontificale,
vir misericordiae,
Exorando Christiani
vas restaura populi,
Vas quassatum qui chrismalis
reparasti olei;
V. Templum Dei, quod in nobis
vitiis destruximus,
Tu restaura, pater sancte,
meritis et precibus.

### In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Sacerdotum diadema,
viva Christi hostia,
Dextra Dei te orante
nos salvet et muniat,
Quam vidisti ad altare
offerens libamina;
V. Designavit dextra visa,
ire te ad supera
Ac confestim sempiterna
coronari gloria.

2. Sacra fisus visione
sanctae Dei dexterae,
Praesul sanctus migraturum
sciens se ad Dominum,
Vocans clerum populumque
aperit oraculum:
V. Christus, inquit, cui servivi,
vocat me ad supera,
Ego sibi vos commendo
relinquens terrestria.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Te, Romane sacer,
Dominus praecinxit honore
Et fultus vita
vivis in arce poli.

2. Jam jubilate Deo
talem laudando patronum
Et vobis festum
hunc celebrate diem.

3. Ob laudem Domini
vigilavit nocte dieque
Et sitiit Christum
semper adire Deum.

4. Ecce tuis, Abraham,
gremiis gaudenter inhaeret
Et coeli regem
nunc benedicit ovans.

5. Ergo Deum coeli
cuncti laudate benigni,
Qui vobis talem
cessit adesse patrem.

Ad Benedictus.

A. Pastor clemens,
viva Dei hostia,
Sancta Dei dextera
Tua prece gloriosa
nos salvet et muniat,
Quam vidisti ad altare
offerens libamina.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Decus omne, nunc, Romane,
confessor egregie,
Vota precum famulorum
dignare suscipere,
Ut tuis redemptor orbis
assiduis precibus
Nos purgatos a peccatis
jungat coeli civibus.

Brev. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 13. Cod. Rotomagen. 192. A. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 20. B. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 201. C. — Brev. ms. Lexoviense saec. 15. (Privatbesitz) D.

A hat monastische Ordnung, interpoliert infolgedessen den Text durch weitere prosaische Zusätze. — In 3. Noct. R 3 prosaisch. — Hymnen: in Vesp.: Exsultet conjubilando; in Laud.: O praeclare miles Christi.

## 86. De sancto Samsone.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Clementer nostras
venia, Deus, ablue culpas,
Qui licet indigni
colimus solemnia sancti
Samsonis.
2. Contemptor patriae,
generisque domusque pater-
nae,
Christi discipulus
bene praetulit esse beatus
Samson.
3. Instructusque brevi
subito praecepta magistri
Praedicat assiduus
simul et miracula sanctus
Samson.
4. Inde manu larga
Domini merces retributa
Ditat in aeternum
centeno munere sanctum
Samsonem.
5. Ergo precare pium
famulis adsitere Jesum,
Qui tua devota
celebramus festa, beate
Samson.

Ad Magnificat.

A. Corde devoti Domino
Laetemur nunc cum gaudio,
Celebrantes solemnia
Sancti Samsonis annua,
Ut qui linquens onus carnis
Tripudiat cum angelis,
Ejus nos precibus Christus
Adjungat coeli civibus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeterno regi
jubilemus mente sagaci,
Sanctum Samsonem
qui coeli vexit ad arcem.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Samson vocabulo
Praedicitur ab angelo,
Qui quasi lux in tenebris
Huic mundo enituit.
2. Hunc parentes literarum
Tradideruat studiis,
Suis septem paraclitus
Quem donavit muniis.
3. Elduti vero manibus
Dum a matre traderetur,
Sacerdotem Britannorum
Mox praedixit fore magnum.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic, inquit, post apostolos
Egregius praedicator,
Quidquid ore docuerit,
Operibus impleverit.
2. Vigiliis assiduus,
Licet aevo tenerrimus,
Sacris pollebat moribus,
Cibis parcus et potibus.
3. Dum magister pertractaret
Nec quaestionem solveret,
Puer bibens divinitus
Eructavit protinus.

Responsoria.

1. Pastor prudens ex suscepto
curiosus onere
Hortabatur gregem sibi
commissum quotidie,
Ut pararet viam Deo
cordium in limite,
V. Quem pascebat pane vitae et
verbi Dei semine.
2. Erat enim pontifici
pater Ammon nomine,
Dissolutus omni fere
membrorum compagine,
Quem vir sanctus fusa prece
fecit convalescere.

V. *Totondit comam capitis sui et se Deo suaque obtulit.*

3. Paschali nocte pervigil
Samson raptus in extasim
Eleganti forma virum
audit sibi dicere:
Non manebis in hac terra
nisi parvo tempore,

V. Peregrinus enim eris
et ultra mare pontifex.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quidam frater ab elide
Percussus est in inguine,
Quem sanavit crucis signo
Et aqua mixta oleo.

2. Pistor fratris consilio
Venenum dat in vasculo,
Sed signo crucis edito
Bibit fretus in Domino.

3. Nullum inde malum sensit,
Sed pistori grates solvit,
Vindicta fratrem perculit,
A quo daemonem expulit.

Responsoria.

1. Eductus de exsilio,
Reversus postliminio
Vidit lumen de lumine
Vir beatus in limine
Et potatur aqua viva,
Quam sitivit in hac vita;
Jam peracta militia
Coronatur in gloria.

V. *Tempore sationis indesinenter seminavit, ut in colligendo manipulos sine fine gauderet.*

Prosella.

Sanctus Samson late fulget
virtutum praeconio,
Apud Deum nobis prosit
ejus intercessio.
Prece sua liberavit
vexatam daemonio,
Matrem lepra tactam pari
curavit remedio.
Quod nunc lucet Deo, docet
lucis restauratio,
Ubi standum est, ostensum
locustae mysterio.
Huic antequam nasceretur,
nomen dedit visio,
Hic sanavit, quem distendit
veneni infusio.
Nos Samsonis committamus
sancti patrocinio,
Ut cum tanto patre simus
digni vitae praemio.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — In 1. Noct. **A** 2, 4 donavit muneribus. — Alles fehlende Prosa; die zugehörigen Hymnen Anal. XII, 224 ff.

## 87. De sancto Severo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Adest dies laetitiae
In Viennae provincia,
Quo Severo rex gloriae
Beata dedit gaudia;
Concordet ergo curiae
Coeli praesens ecclesia,
Quae gaudet vase gratia,
Quod provexit ab India.

In 1. Nocturno.

Invitatorium.

Venerantes redemptoris
Christi mirabilia
Exsultemus confessoris
Severi pro gloria.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ortus claris parentibus
   Et vallatus divitiis,
   Adhaesit spretis omnibus
   Salvatoris consiliis.
2. Parentum morte praevia
   Sua pie distribuit,
   Firmus fidei gratia
   Vana statim abhorruit.
3. Christi corde gestans fidem
   Crucemque portans corpore,
   Severus severus idem
   Vixit omni tempore.

Responsoria.

1. Leva vocem,
   fidelis concio,
   Atque sancti
   Severi gratia
   Lauda Deum
   trino tripudio,
   Vocis sonet
   concors discordia,
   Ut lingua, mens
   simul et actio
   Pari semper
   concordet gratia.

V. Tale tenens
   sanctus tripudium
   Sublimatur
   ad sacerdotium.

2. Egrediens
   de terra presbyter
   Ut Abraham
   fideles docuit,
   Ut pareant
   Deo feliciter
   Faciendo
   jussa, quae posuit,
   Despernendo,
   quae Christus noluit.

V. Cum Viennam pervenisset,
   Loca lustravit varia,
   Et cum de longe venisset,
   Quievit in Vogaria.

3. Ostendit venerabilis
   Arbor ritu fanatico,
   Quantum sit sanctus utilis,
   Qui verbo dedit mystico,
   Gentilitatis sterilis
   Multos convertit illico.

V. Qui fanatice credebant
   Dignitatem arboris,
   Jam conversi succidebant
   Hanc de loco memoris.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Arbor succisa pellitur
   Et Albani construitur
   Martyris jam ecclesia
   Hic inventa pecunia.
2. His patratis
   venit ad moenia
   Civitatis
   peragrans spatia,
   Transit pontem
   et templum reperit,
   Quod sic stare non deserit.
3. Centum deos vocabatur
   Idolorum servitus,
   Dum sanctus Deum precatur,
   Subvertitur coelitus,
   Locus quoque, quo manebant,
   Non apparet penitus.

Responsoria.

1. Nomen Christi
   viso miraculo
   Recipitur
   ab illo populo,
   Idolorum
   pulsa versutia
   Incipitur
   statim ecclesia
   In martyris
   Stephani nomine
   Propulsato
   profano numine.

V. Vas argenti
   de terra foditur,

Peccunia
plenum accipitur,
Expenditur
pars in operibus
Et pars datur
Christi pauperibus.

2. Adest Germanus pontifex
Romam pergens, dum opifex
Haec facit aedificia,
Sed praesulis instantia
Non complentur haec omnia,
Donec ipse redierit,
Quamvis plebs contradixerit.
V. Praestolatur
reditus praesulis,
Sed non paret
Severus populis.

3. Res miranda,
fides exstollitur
Notitiae
viso miraculo,
Connominant
se dato osculo,
In stuporem
plebs videns ducitur,
V. Divinitus
datur cognitio,
Alterutrum
cum ostenatio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praeparatur
plebis processio,
Ut Stephani
condat reliquias,
Sed cerei
nequit accensio,
Ut habeat
sanctus inducias.

2. Tandem dum idem iterat,
Plebs devote peragere,
Germani, qui decesserat,
Corpus constat exsistere
Civitatis prae foribus,
Quod denuntians omnibus
Ipsos facit procedere
Severus sancti funere.

3. Sic completur
mutua sponsio,
Officium
luminis redditur,
Ecclesiae
et dedicatio
Et in plebe
fides extollitur.

Responsoria.

1. Duobus templis conditis
tertium aggreditur
Medio montium colle,
quae arx vulgo dicitur,
Statua tantum erepta
prius ibi frangitur.
V. Trinitatis in honore
dum templum construitur,
Occultatum pravo more
aurum inde legitur.

2. Venerandas cum honore
Reliquias collocat
Laurentii et errore
Pulso Deum invocat,
Nec mirum, si obsecrat,
Cui locum consecrat.
V. Ut fidelis dispensator
Partem dat pauperibus,
Ardet sicut incitator
Sanctus in coelestibus.

3. Supernae matris gaudia
Repraesentet ecclesia,
Dum festa colit annua
Pro perpetua gloria
Severi, quam hic meruit,
Dum sic templa constituit;
Clarus sanctus miraculis,
Exemplum praebens populis,
V. Fugiebat
daemonum legio
Imminente
sancti vestigio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Severus severissime
Corpus suum edomuit,
Sic suus praestantissime
Spiritus carni praefuit.

2. Rerum hunc temporalium
Possessio non polluit,
Qui contempto peculio
Nihil sibi retinuit.

3. Meridiano daemoni
Severus mittens litteras
Dicens: tuis insidiis
Ligatum statim deseras;
Obtinuit, quod voluit,
Mandatis daemon paruit.

4. Rerum actorem [propere]
Praecepit benedicere
Vinctos, quos traxit libere
Brunehildis de carcere.

5. Discurrens per ecclesias
Suo labore conditas
Deo referens gratias
Horas complebat debitas.

Ad Benedictus.

A. Severus expiravit,
Ipsum corona gloriae
Salvator coronavit,
Ipsum laudemus hodie,
Quem Deus sublimavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O stella coeli fulgida,
Nostrum Severe gaudium,
Corda nostra fac fervida
Ad diligendum filium
Dei, qui post exsilium
Se nobis det in praemium.

Brev. ms. S. Mauritii Viennen. saec. 15. Cod. Chigian. D IV 59. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 8 Judaea. — In 1. Noct. A 1, 1 Idus clarus. — A 2, 4 Valla statim abhorruit; lies Vana oder Falsa? — R 1, 3 Et sancti. — In 2. Noct. A 1, 1 pellitus. — A 2, 4 Lücke? — A 3, 1 lies deorum vocatur? — A 3, 3 precabatur. — A 3, 5 quo ergänzt. — R 2, 8 Pangatur. — R 2, 10 Se non paret. — R 3, 11 lies Germanus populis? — R 3, 7 In tupore. — R 3, 12 *obstentatio*. — In 3. Noct. A 1, 5 Seteris nequit. — A 2, 1 *idem itatur*. — A 3, 5 Ecclesiae ergänzt. — R 1, 4 ars vulgo. — R 1, 9 Occurtatum peano more. — R 2, 9 Ardet sic incitator. — R 2, 10 Sanctis. — R 3, 3 Diem festa collit annua. — R 3, 4 Pro Severi annua. — R 3, 5 Severi fehlt, aus der vorigen Zeile entlehnt. — In Laud. A 3, 1 Meridianus. — A 5, 3 gratias ergänzt.

## 88. De sancto Severo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Agathensis
gaude diocesis
Ob Severi
patris solemnia,
Tranquilletur
bellorum phrenesis,
Regnet fides,
pax et concordia,
Conquiescat
mater ecclesia,
Relegetur
dolus, fraus, haeresis,
Nostra Deum
collaudet phronesis
Confessoris
narrans praeconia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo regi, Deo vero,
Jubilemus in Severo,
Quem ad coelum vis superna
Die vexit hodierna.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancti Severi Syria
Natalis fuit patria,
Cui regali gloria
Fulserunt natalitia.

2. In annis pueritiae
Vitans caenum lasciviae
Recta se dedit acie
Literali scientiae.

3. Sacris vacans operibus
Mores ornat virtutibus,
Pernox in Dei laudibus
Genus transcendit moribus.

Responsoria.

1. Dum teneret
antistes Beticus
Agathensis
sedis regimina,
Animarum
fidelis medicus,
Pia suis
praestans solamina,
En ad patris
ejusdem famina
Se direxit
hospes theoricus,
V. Redditur hic laetus,
senis almi famine fretus.

2. Perorante
pio pontifice
Sacris paret
Severus monitis
Et sub tanto
salutis indice
Pedem figit
in Dei semitis
Et per hujus
verbum antistitis
Caritatis
firmatur apice,
V. Hac virtute foris
emittitur aura timoris.

3. Confirmatus
Severus propere
Viro Dei
censum exhibuit,
Quem susceptum
in turba paupere
Dispergendo
bene distribuit,
Sic, quae mente
jam dudum tenuit,
Venerando
complevit opere,
V. Praemia debentur
his, qui miseris miserentur.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Multo fractam jejunio
Carnem subegit ratio,
Cujus datur officio
Spiritalis refectio.

2. Cilicino velamine
Contentus absque stramine,
Crudo pastus legumine,
Puro potatur flumine.

3. Paternis rebus venditis,
Suis prorsus postpositis,
Intrat cum paucis subditis
Salum Aegei gurgitis.

Responsoria.

1. Jam impensis
thesauris omnibus
Semet volens
superimpendere,
Domum brevem,
cannis et sudibus
Ad manendum
sategit struere,
Ibi curans
praesenter serere,
Quod futuris
prodesset messibus,
V. Urbs erat in cura,
non praesens, immo futura.

2. Brevi diu
   clausus tugurio
   Multum Deo
   quaesivit populum,
   Nulla veste
   nisi cilicio
   Despicatum
   velans corpusculum,
   Raro carnis
   assumens pabulum
   Maceratur
   longo jejunio,
V. Sumpta solet rarae
   motus cutis esca domare.

3. *Ne lateret in tenebris*
   Ultra vas plenum lumine,
   Fit sancto domus celebris,
   Ut sub ejus regimine
   Plures in Dei nomine
   Starent pulsis illecebris;
V. Gratia fraterna
   viget in bonitate paterna.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tyrrhena sulcans aequora
   Subit Arauri litora,
   Hic fixa stetit anchora,
   Fessa respirant pectora.

2. Post navale periculum
   Christus dilectum famulum
   Misit salutis bajulum
   Ad Agathensem populum.

3. Haec urbs in fauce Gothica,
   Licet situ sit modica,
   Fide tamen catholica
   Regna fatetur coelica.

Responsoria.

1. Jucundatur
   Severi sanctitas
   *In adventu*
   devote passeris,
   Cujus per hunc
   famis austeritas
   Saturatur
   ex dono Cereris,
   Mox nullius
   delictum sceleris
   Solvit pedis
   reducta sanitas,
V. Si frons seu cedidit
   passer, Deus omnia vidit.

2. Cum senator
   urbis Salustius
   Vivens sibi
   sepulchrum foderet,
   Edocetur,
   quod ejus filius
   *Hic defunctus*
   prior quiesceret,
   Ut Severus
   per hoc claresceret
   Et futuro
   fuisse praescius;
V. Dona prophetiae
   dedit illi neuma sophiae.

3. Praedicatur
   in evangelio,
   Quod Severus
   claret ex actibus,
   Nam de trium
   panum compendio
   Sexaginta
   trecentis fratribus
   Cibum dedit
   esurientibus,
   Et divini
   doni refectio
   Mancipatis
   Christi servitio
   Per tres dies
   suffecit omnibus;
V. Qui turbas pavit,
   sua munera multiplicavit.

Prosellus.

*Corde mero Deo vero*
   Psallat nostra concio,
*In Severo* laus in clero
   Fit et jubilatio.

Agathensis in condensis
Excitetur unio
Et immensis fit offensis
Indulta remissio.
Ergo piae prophetiae
Praedite praeconio,
Nobis diae da sophiae
Frui beneficio.
Isti praesto clemens esto,
Severe, collegio
Et hoc festo nos modesto
Refice solatio.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Prophetiae
doctus scientia
Futurorum
solvit mysteria,
Per susceptum
Severus triticum
Ampliavit
penu dominicum.

2. Venerando
confectum senio
Confessorem
purgat confessio,
Et futurum
pavescens exitum
Suum Deo
comendat spiritum.

3. Coeli cives
procedunt obviam
Deducentes
servum ad patriam,
Et ingressus
regna clarissima
Jam cum Christo
regnat in anima.

4. Benedictus
rex summae gloriae,
Qui Severum
coelestis curiae
Gaudiorum
fecit participem
Contemplando
supremum principem.

5. Hymnus sanctis
debetur omnibus,
Qui Severum
plenum virtutibus
Adsciverunt
ad coelos hodie
Decoratum
corona gloriae.

Ad Benedictus.

A. Ad sepulchrum
patroni nobilis
Larga Christi
virtus exuberat,
Ibi claudo
pes datur agilis,
Lingua muti
se sponte reserat,
Hic colorem
leprosus alterat,
Ad videndum
fit caecus habilis,
In aeternum
Deus laudabilis,
Benedictus,
qui cuncta prosperat.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Severe,
coelestis viola,
Paradisi
conserte liliis,
Angelorum
effectus accola,
Sempiternis
inclite gaudiis,
Tuis tuos
fove consiliis,
Hanc ad urbem
frequenter advola
Et emundans
a labe subdola
Permansuris
muni praesidiis.

Brev. Agathense imp. Valentiae 1510. — In 1 Noct. A 2, 2 Vitans venum. — In 2. Noct. A 2, 3 pastus acrimine. — In 3. Noct. A 1, 1 Lirenus sulcans. — A 1, 2 Erauri. — Prosell. 6 Excidetur humo.

## 89. De sancto Silvino.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Cum gaudio celebrent
ecclesiae filii
diem festum sancti
praesulis Silvini,
qui venerabilis
vitae studiis
hic placuit altissimo
et nunc in coelestis
senatus curia Deo
conjunctus est cum gaudio.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Viva fide adoremus
filium Dei vivi,
Jesum regem regum,
qui corona vitae
Ditavit Silvinum
praesulem suum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus antistes Silvinus
In tellure Tolosana
Claris fuit parentibus
Legitime generatus.

2. Sed cum esset hic sanguinis
Nobilitate splendidus,
Adornari concupivit
Sanctitatis operibus.

3. Nam ut annos infantiles
Pertransiit, jam adultus
Deum coepit tota mente
Fideliter diligere.

4. Qui virginis imitator
Evangelistae Johannis,
Quam uxorem desponsavit,
Propter Deum dereliquit.

5. Cum beatis mundo corde
Atque castis in corpore,
Hic studebat, ut videre
Deum posset sine fine.

6. Lux divina Thervanensi
Tunc illuxit regioni,
Cum Silvinus vir beatus
Illuc venit destinatus.

Responsorium.

R. Haec inter juvenis
tandem desponsat amantem,
Sic consultus ab his,
quos patres contulit orbis,
V. Obedivit eis
pro carnis lege fidelis.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui doctrinis enituit,
Enituit et exemplis,
Nam quod ore praedicavit,
Id opere confirmavit.

2. Ibi Deo multam plebem
Acquisivit praedicando,
Quam et ipsi commendavit
Obsecrando et orando.

3. Hospitibus et egenis
Tamquam Christo serviebat
Atque eis oportuna
Humiliter ministrabat.

4. Gladiator si adesset,
Non fugeret martyrium,
Sed offerret ultroneus
Amputari capit suum.

5. In stadio vitae brevis
Hic cucurrit legitime,
Ut bravium immortalis
Digne possit percipere.
6. Post expletum vitae cursum
Receptus est in gloria,
Regnaturus cum angelis
Per saecula sine meta.

Responsorium.

R. Ut sentit fraudem,
versutum conterit anguem
Orando, flendo,
jejunia longa trahendo,
V. Nocte vigil tota
sternendo carnea probra.

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Iste sanctus non speravit
In pecuniae thesauris
Et post aurum non abiit,
Sed confisus in Domino
Germinavit ut lilium
Et nunc floret sicut palma
Nec marcescit in aeternum,
Viget enim ante Deum.

Responsorium.

R. Vas Domini plenum
post tot discrimina rerum,
Ut ter decoctum
rutilans fornacibus aurum,
Regressus Morinis
celebrat documenta salutis.
V. Missum de caelis
lumen, casa munda tonantis
Praesul in officiis
celebrat documenta salutis.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum sabbatum sit requies,
Hic migravit in sabbato,
A labore quiescere
In sempiterna requie.
2. Exsequiis hujus sancti
Sacerdotes et clerici
Adfuerunt, coenobitae
Et virgines consecratae.
3. Quidam laudes personabant,
Quidam dulces fletus dabant,
Quod in coelo sit receptus.
Et quod pie sit plangendus.
4. Benedicite Domino,
Qui Silvino antistiti,
Quae praemia promeruit,
Aequa lance relibravit.
5. Laudes ipsi celebremus,
Qui praesentem ecclesiam
Atque eam frequentantem
De Silvini sanctae glebae
Laetificat praesentia.

Ad Benedictus.

A. O Silvine, pie pastor,
O Silvine, praesul sancte,
Qui jam regnas cum angelis
Coronatus in gloria,
Ibi nostri memor esto,
Pie pastor, funde preces
Tu pro nobis, ut possimus
Illic tuo sociari
Collegio.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Silvinus, Christi crucifer,
Annis totis quadraginta
Herba contentus sobria
Tendebat carnis tympanum
Ad dulce cordis organum,
Inde Deo harmonicam
Laudum ructabat hostiam
Et virtutum melodiam.

Antiph. ms. Bertinianum saec. 15. Cod. Audomaren. 204. — In jeder Noct. ist nur eines der vier RR metrisch.

## 90. De s. Stephano Grandimontano.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Confessorem egregium
Laudemus patrem Stephanum,
Qui supernorum civium
Stolae adeptus bravium
Nostrum gratum obsequium
Faciat ante Dominum.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum
Nobis dantem Stephanum,
Eremitam strenuum,
Pastorem mirificum.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Natus in Arvernia
Illustri prosapia
Fuit sanctus Stephanus,
Confessor altissimus.
2. Vir nobilis Stephanus,
De Thierno dominus,
Hunc uxore Candida
Genuit doctissima.
3. Patris ejus provisio
Literali hunc studio
Tradidit ab infantia
Dei inspirante gratia.

Responsoria.

1. Adest dies laetabunda,
In qua festa recolenda
Sponsa Christi colit ecclesia
Regi regum regenti omnia,
Qui Grandimonti pastorem
Primum dedit confessorem
Stephanum doctissimum.
V. Illius igitur
haec unanimiter
Concinat concio
laudes alacriter.

2. Hic Stephanus habuit
Milonem doctorem
Justorum Calabriae
imitando morem,
Cum se ipsum Domino
fecit servitorem
Papa dante licitum
in orationis
Grandimontis ordinis
et perfectionis;
V. Et volens sequi Dominum
Annum agens tricesimum
Se transtulit in eremum
Mureti frigidissimum.

3. Ut despondens annulo
se caste victurum
Et fidem catholicam
semper servaturum
Promisit, ab eremo
se nunquam exire,
Sed in eo jugiter
Domino servire,
Ut post vitae terminum
Diurnum denarium
Possit obtinere
Et cum sanctis omnibus
In regno gaudere
V. Exemplum humilitatis,
Lilium virginitatis
Servans sine macula
Per vitae curricula.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Coelorum agmine dignus,
Stephanus pius, benignus
Propter Dei famulatum
Liquit castri dominatum.
2. Ut Christum lucrifaceret
Et liberum se redderet,
Adhaesit solitudini
Tumultum vitans saeculi.

3. Sciens quod diligentibus
Dominum et quaerentibus
Populorum frequentia
Nocet et rerum copia.

Responsoria.

1. Sicut Judas Macchabaeus
in deserto stetit
Et vitam in montibus
cum feris incepit,
Sic permansit Stephanus
in terra deserta,
Gentibus insolita,
feris assueta,
Ut per viam arduam
Veniret ad gloriam;
V. Qui Eliae comparatur,
Cui esca ministratur
Loco solitario
Corvi ministerio.

2. In deserto praecursoris
Christi, nostri redemptoris,
Aemulator maximus
Fuit sanctus Stephanus
In vestis asperitate
Et ciborum egestate,
Ad nudam carnem loricam
Ferens, mentis inimicam
Castigans jejuniis
Et multis vigiliis.
V. Tabularum lectulum
Carentem stramento
Silicem adhibuit
Vili indumento.

3. Oliva fructifera
Doctrinis et moribus,
Nardus odorifera
Redolens virtutibus
Fuit sanctus Stephanus,
Qui Muretensi nemore
In fame, siti, frigore
Corpus maceravit
Et hostem prostravit;
V. Ipse suis informatos
Exemplis nos reddat gratos
Deo suis precibus
Et magnis virtutibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Subditorum voluntates
latentes videbat
Et orationibus
instanter vacabat.

2. Fuit in opere justus,
In judicio providus,
Animo pacificus,
Corde humilissimus.

3. Erat enim se defendentibus
Obstinatis asper et rigidus,
Peccatores arguens,
Afflictis compatiens.

Responsoria.

1. Cum Stephanus venire
diem mortis sentiit,
Dominum diligere
fratribus edocuit,
Paupertatem eremi
Tenere in omnibus
Cum regulae moribus
Atque jussionibus;
V. Quia Deum provisorem
fratribus constituit,
Ipsis ut nihil deesset,
percipere voluit.

2. Aegrotantem Stephanum
fratres adiverunt
Et lacrimabiliter
eidem dixerunt:
Victum satis habuimus,
Quam diu tecum fuimus,
Nunc nos pauperes deseris
Et ab hac vita raperis
In coelo locandus;
V. Quibus dixit Stephanus
In fide firmissimus:
Dei si fueritis
Praecepta servantes,
Bonis semper eritis
Cunctis abundantes.

3. Sancti viri obitus
Est infanti cognitus,
Cum per scalam lucidam
Angelos ad animam

Stephani gratissimam
Ducendam ad gloriam
Venire conspexit
Et matri detexit.
Hujus sequi vestigia
Det, qui gubernat omnia,
Cujus fulti praesidiis
Fruamur coeli gaudiis.
V. Jesum, Mariae filium,
Nobis reddat propitium
Confessor Christi Stephanus,
Eremita sanctissimus.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Fuit exsul spontaneus
Anachoreta Stephanus,
Subditis piissimus.
2. Ad exemplum fidelium
Deus praefecit Stephanum
In caritate fervidum
Et operibus lucidum.
3. Aegris dantem sanitatem,
Compeditis libertatem
Et vitae substantiam,
Reis prece veniam.
4. Victus necessaria
ita dispensabat,
Quod fertili tempore
parum superabat
Et sterili fratribus
nil deficiebat,
Sed utroque tempore
bonis abundabat.
5. Tenuit in omnibus
vir Dei mensuram,
In Deum projiciens
totam suam curam,
Cui pascit quotidie
suam creaturam,
Quam suo servitio
conspicit mansuram.

Ad Benedictus.

A. O electum vas honoris,
Felix cultor eremi,
Pater pie Grandimontis,
Roga Deum saeculi,
Ut purgatos a peccatis
Suis completis mandatis
In coelesti solio
Muneret nos gaudio.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O consolator pauperum,
Stephane, tuis precibus
Auge virtutum numerum
In nobis te precantibus,
Et ereptos
nos mortis casibus
Gaudere fac
coelorum sedibus,
Ubi regnas
cum sanctis omnibus.

### Per Octavam.

Ad Benedictus.

A. Sancte Dei Stephane,
athleta fidelis,
Roga Dei filium
pro nobis in caelis,
Ut nocere nequeat
nobis suis telis
Is, qui bellans cecidit
ictu Michaelis.

Ad Magnificat.

A. O Stephane, honestatis
Vir et magnae sanctitatis,
Qui das lapsis relevamen
Et infirmis medicamen,
Tu pro nobis intercede,
Ut coelesti nos mercede
Ditet Deus cum beatis
Regno suae claritatis.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV° 14. — In 1. Noct. **R** 3, 13 Regno gaudere. — In 2. Noct. **R** 1, 2 desertum. — **R** 1, 6 sqq. In terram desertam . . . insolitam . . . assuetam. — **R** 2, 6 amborum egestate. — In 3. Noct. **R** 2, 9 In fehlt. — In Laud. **A** 1, 3 Subdictis.

## 91. De sancto Sulino.

### In 1. Vesperis.

R. Non onus est sed honor
summi vir honorus honoris,
Sic inhonorus homo
non honor est sed onus;
Hic et honoris onus
onerisque recepit honorem,
V. Nunc in honore manens
nescit honoris onus.

Prosa.

Hunc Gimmarus evocavit
De mundi ludibrio,
Evocatum educavit
Diligenti studio,
Consecratum commendavit
Sancta conversatio,
Hunc virtutum declaravit
Frequens exhibitio.
Ejus pater rex donavit
Terram monasterio,
Quam sequendo peragravit
Gravatus pro filio.
Frater ejus, dum regnavit
Sulini consilio,
Regnum bene gubernavit
Et ejus auxilio.
Sed Sulinus exsulavit,
De cujus exsilio
Gratulanter exsultavit
Aletensis regio,
Redonensem decoravit
Ejus depositio.

Ad Magnificat.

A. Vocibus almisonis
et cordibus ad bona pronis
Exsultet Redonis,
Urbs bona, plena bonis.
Tanti laetare
patris festum celebrare,
Nec dedignare
carmina mille dare.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo concinite,
Christum laudare venite,
Qui dedit eremitae
Sulino gaudia vitae.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sulinus regum
claro de sanguine clarus,
Moribus et vita
clarior ipse fuit.
2. Colludens paribus
purus puer ut puerorum
Venia colludit,
desinit esse puer.
3. Nam puer ille senis
mandata senemque secutus
Deseruit pueros
et puerile forum.

Responsoria.

1. De patre rege satus,
regis nutritus in aula,
Regales epulas
regius ille puer
Pro Christo nihili
pendens Christumque secutus
Deseruit patriam
deseruitque patrem,
V. De summo factus
humilis, de divite pauper.
2. Hunc periisse ratus
subito multis comitatus
Rex pater iratus
cingitur ense latus,
Festinans properat,
ut eum per devia quaerat,
V. Qui non, ut sperat,
inveniendus erat.

3. Rex per hoc consilium
Quaesito sic filio
Tandem vidit filium,
Quem Dei consilio
Abbas sanctus clericum
Fecerat de laico;
Amans quippe laicum
Plus gaudet de clerico.
V. Rex videns puerulum
Gaudet de miraculo
Et plus hoc miraculum
Gaudet de puerulo.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex pater abbati
dat terram pro prece nati,
Per quem sectatus
fuit abbatem galeatus.

2. At puer insignis
psalmis psallebat et hymnis
Ordine condignis,
ut divinus docet ignis.

3. Naturae dotes
animi virtute maritans
Praeditus ingenio,
corpore pulcher erat.

Responsoria.

1. Patris post obitus
Jacob est ad sceptra petitus,
His insignitus
Est patris honore potitus,
V. Anglorum gentem
rexit sanctusque regentem
Frater ad ingentem
formavit ad inclita mentem.

2. Rex populum, regem
populi Sulinus habebat,
Et regi frater
regem regnare docebat,
V. Sulinus populum,
clerum regemque regebat.

3. Regis uxor viduata
In Sulinum inflammatur
Et in eum inflammata
Ratione viduatur,
Patri prius copulata
Fratri quaerit maritari,
Ut sic male maritata
Male possit copulari,
V. Quod dum sanctus exsecratur,
Dolet uxor refutata,
Et quo magis refutatur,
Magis ardet exsecrata.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Angelus edocuit
fratres, in honore Mariae
Virginis ecclesiam
confabricare novam.

2. Signavere locum
rutilans pendensque columna
Aurea de coelo,
grandis et albus aper.

3. Sic Dominus Domini
matrem docuit venerari,
Quam jubet in terris
coeli dominam celebrari.

Responsoria.

1. Non expleto crimine
Furit ferox femina
Et de more feminae
Pronior ad crimina
Fratres de coenobio
Trahit ad martyrium,
V. Ut fratrum martyrio
Destruat coenobium.

2. Fugit sanctus sanae mentis
Non amentem sed amentis
Amicam nequitiae
Et exponit se tormentis,
Navem mari, vitam ventis,
Cuncta Dei gratiae,
V. Fratres linquens in lamentis
Ratis vectus armamentis
Fugit fines Angliae.

3. Sanctus Samson baptizanti
Chrisma vetat, sed vetanti
Dum clarescit tanto tanti
Sancta sancto vita sancti,
Currit plorans et implorat,
Ut baptizet et, dum plorat,
Sanctus cedit imploranti;
V. O mens una sacerdotum,
Non cor discors sed devotum,
Idem velle, idem votum,
Quod vult ille, vult hic totum.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Virum lauda dignum laude
Et laudando virum plaude,
Redonensis civitas,
Digna virum cole cura,
Cujus tibi sepultura
Honor est et dignitas.

2. Jubilemus Domino,
Regi sine termino,
Ut sic in laetitia
Cum Sulino vivere
Possimus et psallere
In coelesti gloria.

3. Sulinus egregie
Vigilavit sobrius,
Ut vivendo sobrie
Regnaret egregius,
Ejus nostra merito
Condonentur debita,
Sua quem pro debito
Nunc coronant merita.

4. Benedixit Dominus
Confessorem Sulinum,
Et confessor Sulinus
Benedixit Dominum,
Hic donando gratiam
Spem promisit veniae,
Hic invenit veniam
Obsequendo gratiae.

5. Laude frequenti,
Consona menti
Lingua manusque
Carmina dignis
Concrepet hymnis,
Quo valet usque,
Ad patris hujus,
Debita cujus
Festa coluntur,
Cedit honorem,
Si per amorem
Laeta canuntur.

Ad Benedictus.

A. Servos nos sequi Dominum
Sulinus abbas docuit
Et terram cordis hominum
Aratro verbi coluit,
Semen serens Davidicum
Messem fecit, quam voluit.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Suline, pater, ave,
Exaudi nos, nobis fave,
Educ nos de mundi nave
Ad quietis litora,
Ubi salus sine salo,
Ubi malus sine malo,
Nec est palus nec in palo
Religatur anchora.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — In 1. Vesp. Pros. 12 natus pro filio. — In 1. Noct. R 3, 4 Qui. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 2 nos ergänzt.

## 92. De sancto Syreneo.

### In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, Sion,
ornata lumine,
Quam decorat
virtutum culmine
Syreneus,
qui fuso sanguine
Triumphavit
pro Christi nomine.

Ad Magnificat.

A. O lampas ecclesiae,
Gemma puritatis,
Speculum munditiae,
Cella sanctitatis,
Linea justitiae,
Exemplar virtutis,
Adstanti familiae
Fer opem salutis.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jubilemus voto pari
Christo, vero salutari,
Per quem gaudet sublimari
Syreneus hodie.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus, qui non abiit
in malorum consilio
Nec cathedram apetiit
pestis infectam vitio.
2. Quare fremuerunt populi,
quos subsannat Deus,
Quorum rumpit vincula
martyr Syreneus.
3. Domine, qui martyris
mercedem multiplicas,
Fac nos coelum scandere,
mansiones coelicas.

Responsoria.

1. Novae stellae radium
oriens eduxit,
Quam super candelabrum
Christus jam produxit
Et sublato modio
coelitus illuxit,
V. Ad palmam victoriae
Christus suum hodie
Militem produxit.
2. Christi fornax corda mundans
et expurgans vitia
Syrenei cor purgavit
a mundi spurcitia
Et purgatum consecravit
influente gratia.
V. Christi veste tegitur
accinctus potentia
Et relicto pallio
fugit ab Aegyptia.
3. Cultor agri Domini
vulpes expellebat
Nec in Christi vineam
transire sinebat,
Quos pestis haeretica
miseros tenebat,
V. Ignitum eloquium
Et fidei gladium
Sanctus evehebat.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocat, exauditur
per te, Jesu bone,
Martyr, qui te non negavit
mortis in agone.
2. Verba sancti percipit
Christus et exaudit,
Qui justa petentibus
aures nunquam claudit.
3. Domine, Domine,
tu mirabilem
Fecisti hodie
parvum et humilem.

Responsoria.

1. O martyr eximie,
decus speciale,
Quem ornat justitiae
superhumerale,
Fac nos [tecum] scandere
regnum aeternale,
V. Protege subsidiis,
Quod reples miseriis
Corpus hoc mortale.

2. Hortum colens vir beatus
insitum arboribus,
Quem nec hiems neque gelu
spoliabat fructibus,
Sibi victum acquirebat
propriis laboribus.
V. Intus ferens Christi crucem,
Sequebatur pium ducem
Paupertatis gressibus.

3. Impudica mulier
dum [se] Syrenei
Objicit adspectibus,
se non credit ei
Sanctus, sed hanc repulit
zelo verbi Dei.
V. Novum Joseph exhibet
illi vir insignis,
Quem in igne positum
non exurit ignis.

## In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confidit in Domino,
cui se totum dedit,
Nec minis nec gladio
sed nec morti cedit.

2. Domine, qui habitas,
quo mors non ascendit,
Fac nos illic scandere,
quo martyr ascendit.

3. In virtute Domini
sanctus gloriatur
Atque desiderio
suo non fraudatur.

Responsoria.

1. Cultus fide,
fulgens eloquio,
Sic Trajano
respondit impio:
Colo Christum,
alium nescio.
V. Praeses iram concipit
Et punire praecipit
Virum Dei gladio.

2. Inclinato capite
ictum ferientis
Cupit vir cum gaudio
et invictae mentis,
Sed murmur non resonat
aut vox renitentis.
V. Cursu felicissimae
vitae consummato
In sinu recipitur
Abrahae beato.

3. Salve, miles summi regis
et cohaeres gloriae,
In hac valle lacrimarum,
mortis et miseriae
Nos tuere tua prece
certantes in acie.
V. Jesu bone,
per sancti merita
Nos a trina
morte resuscita.

## In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus regnavit,
qui suum famulum
Exaltat coelitus
nunc et in saeculum.

2. Jubilate summo regi,
Cujus jugo, cujus legi
Subdi martyr voluit.

3. Deus, Deus meus,
Te solum sitivit
Martyr Syreneus,
Qui dolum nescivit.

4\. Christum benedicere
Syreneus meruit,
Victor inimici.

5\. Laudemus Dominum,
quem laudat in caelis
Miles fortissimus
et testis fidelis.

Ad Benedictus.

A. Glorificet Dominum
curia coelestis,
Quam Christi veridicus
Syreneus testis
Ingressus admixtus est
angelicis festis
Et dotatur munere
immortalis vestis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lux vera, Jesu bone,
Syrenei precibus
Ac ipsius passionem
Devote colentibus
Adsis, famem, mortem, pestem
ab eorum finibus
Pellas, pacem, castitatem
horum serves mentibus.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV° 14. — In 1. Noct. A 1, 1 Beatus vir qui. — A 3, 4 coelitus. — R 3, 4 transire subiebat. — R 3, 9 sanctus cunctebat. — In 2. Noct. A 1, 1 exaudiatur. — A 2, 1 Verba mea sancti percipit. — A 2, 2 exaudivit. — A 2, 3 Qui juxta. — R 1, 5 tecum ergänzt. — R 3, 2 Dum Syreneo. — R 3, 8 Illi visi. — R 3, 10 non esurit. — In 3. Noct. R 2, 4 Et fehlt. — In Laud. ad Bened. A, 3 Quam ergänzt. — Hiezu der Hymnus: Plaudat chorus fidelium, Anal. XII, 236.

## 93. De sancto Taurino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Festivas laudes
devota mente canentes,
Inclita Taurini
celebremus festa beati,
Obtineat meritis
qui gaudia coelica nobis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi perpetuo
jubilemus corde benigno,
Cui reddit jubilum
Taurinus rite supernum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1\. Ut lumen fidei
Christus committeret orbi,
Instituit veros
veraci jure ministros.

2\. De numero quorum
Taurinum Roma beatum
Edidit ac clarum
praeclari dogmatis ortum.

3\. Et quae sanguineos
gaudebat habere colonos,
Tamquam spina rosam
mundo dedit, ecce, lucernam.

4\. Nam genitor pravus,
Tarquinus nomine dictus,
Christicolas gladiis
semper lacerabat iniquis.

5\. Sed genitrix purum
servans Euticia votum
Obsequiis Domini
parebat corde fideli.

6\. Utque foret prolem
Christo paritura fidelem,
Jungebat precibus
confertos munere fructus.

Responsoria.

1. Ecce dies praesens,
Taurini laude refulgens,
Invitat populos,
pietatis amore venustos
Ad specimen tanti
per signa micantia festi;
V. Exsultat Christo aula poli
dans munia laudis,
Gaudet et in terris
populorum turba fidelis.

2. Quam felix somnus,
coelesti luce corruscans,
virga dedit tactum
fecundo flore politum,
Sic mater tumuit,
quae tactus munera fudit.
V. Virga est Taurinus,
divino fonte rigatus,
Lilia castus amor,
quem flammat flaminis ardor.

3. Tunc erat insignis
Clemens in culmine sedis,
Dignus apostolica
signis radiantibus aula,
Sanctum sanctificis
puerum qui tinxit in undis,
V. Doctrinis firmans
justis et moribus aptans,
Instruxit verum
Domini sub lege ministrum.

4. Summe Deus, tibi laus
semper sit, summa potestas,
Taurinus per quem
veri documenta capescens
Sicut sol coelo
sic splenduit ore venusto,
V. Prudens, pacificus,
verbis vultuque serenus,
Egregius meritis,
omni pietate salubris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gallia pomposis
tunc sublimata triumphis
Semper vana diis
solvebat vota caducis.

2. In partes cujus
graditur Dionysius almus,
Taurinus cum quo
fulgescens divite verbo.

3. Quem, cernens aptum
divini juris ad usum,
praesulis officio
mox sublimavit honesto.

4. Admonet, hortatur,
tandem sic talia fatur:
Ebroicos populos
tibi nunc committo regendos.

5. Jam fortis miles
gentes domitare feroces
Festinat verbis,
metuens non dicta tyranni.

6. Signifer eximius,
fidei fundamine cinctus,
Intrans Ebroicas
verbi diffudit habenas.

Responsoria.

1. Ad vitam revocans
miseram de morte puellam
Immites turbas
verbis domat atque reformat
Ecclesiasque locans
obscoenas destruit aras.
V. Spiritibus vanis
Christi virtute fugatis,
Innovat antiquas
novitatis honore tenebras.

2. Dans responsa suis
daemon custodibus inquit:
Taurinus diris
mea stringit colla catenis,
Nulla mihi virtus
superest, non ulla potestas.
V. Jam, miseri, cessate meis
insistere curis,
Captivus teneor,
quia vos patriamque relinquo.

3. Licinius praeses
nimia dum fluctuat ira,
Taurinum jubet inquiri
captumque teneri;

Quaesitus capitur,
trahitur premiturque flagellis,
V. Sed mens fida Deo,
nullo turbata periclo,
Respuit hostilem
forti virtute furorem.
4. Dum furibunda manus
pulchros extensa per artus
Ictibus instaret,
Taurinus talia supplex
Orabat: misere seni
jam, Christe, roganti.
V. Auditur vox digna sibi,
satis apta saluti:
Ne metuas, quia sum
dulci solamine tecum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Ultio coelestis
mox est immissa tyranni,
Arentesque manus
vacuavit pristina virtus.

Responsoria.

1. Vincuntur poenae,
franguntur praesidis irae,
Fit gemitus cari
passim pro funere nati
Et pater ingentem
retinet sub corde dolorem;
V. Anxia tunc mater
pia pectora fletibus implet
Taurinumque suis
poscit succurrere votis.
2. Ad coelum tendens oculos
pietate decoros
Fudit clamorem
devoto corde fidelem:
Hic tua sit virtus,
Deus, es qui perpete verus;
V. Ut credat populus,
surgat puer iste Marinus
Percipiatque fidem
divino fonte perennem.
3. Inclita tunc veris
firmantur gaudia signis,
Exanimis vitam,
lavacri plebs accipit undam,
Augeturque pius
credentum examine fructus.
V. Denique Paschasius,
simili sub funere pressus,
Sensit adesse suam
Taurini munere vitam.

4. Postquam magnificus
Domini Taurinus amicus
Missarum dignis
egit solemnia votis,
Blanda piae vocis
donans solamina plebi,
Reddidit angelicis
animam cum pace catervis,
V. Scandens ad patriam
felici mente supernam
Percipiensque piam
digna mercede coronam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O felix tellus,
quae tam venerabile corpus
Ad mundi specimen
tenuit populique salutem.

2. Ipsius ad sanctum
clarescunt rura sepulchrum
Et capiunt firmam
languentum membra medelam.

3. Lumina praebentur
caecis, auditio surdis,
Redditur et propriae
mutis perfectio linguae.

4. Sit Domini sanctum
nomen semper benedictum,
Cujus Taurinum
virtus benedixit in aevum.

5. Laudent coelestes
Christum sine fine phalanges,
Cum quibus exsultat
Taurinus laude superna.

Ad Benedictus.

A. Gemma sacerdotum,
norma Taurine piorum,
Porrige subsidium
nobis poscentibus almum
Obtentuque pio
fac nos super astra colonos.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O decus eximium,
votis, Taurine, precantum
Auxiliare libens
scelerum discrimina pellens,
Sterne malignantes
armis coelestibus hostes
Et nobis pacem
precibus largire perennem.

Antiph. ms. S. Vandregisili saec. 12. Cod. Parisin. 10509. A. — Brev. ms. Fiscannense saec. 12. Cod. Rotomagen. 244. B. — Brev. ms. Fiscannense saec. 13. Cod. Rotomagen. 245. C. — Brev. Fiscannense saec. 14. Cod. Rotomagen. 205. D. — Antiph. ms. Fiscannense saec. 14. Cod. Rotomagen. 251. E. — Brev. ms. Ebroicense saec. 14. Cod. Parisin. Nouv. Acq. 388. F. — Brev. Ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicen. 12. G.

Die beiden letzten Handschriften bieten das Officium in nichtmonastischer Form, was in unserem Falle so viel heifst als unvollständig. — In 1. Noct. **A**, 2 3 ad clarum F. — **A** 2, 1 Quanta felix cominus F. — **R** 2, 3 dedit tantum F. — In Laud. Ad Bened. **A**, 3 Porrigit A.

## 94. De ss. Tiberio, Modesto et Florentio.

In 1. Vesperis

Ad Magnificat.

A. Agathensis
exsulta regio
Venerandi
virtute bravii,
Spiritali
laetare gaudio
Sacrosancta
morte Tiberii,
Quem [benigna]
Christi dignatio
Coronavit
digno martyrio
Jam securum
de bono praemii.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum natum salvatorem
Sonet vox fidelium,
Qui revexit ad decorem
Martyrem Tiberium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex illustri
natus prosapia,
Sublimatus
opum praestantia,
Morum tamen
luce Tiberius
Genus vicit
martyr eximius.

2. Intra metas
consistens parvuli
Blandimenta
contempsit saeculi
Et amplexans
Dei scientiam
Ad baptismi
pervenit gratiam.

3. Tribunali
puer expositus,
Cum audiret
minas interitus,

Cur, o Caesar,
exclamans desipis
. . . . . . . .
. . . . . . . . . . . .

Responsoria.

1. Blandiente
patre Tiberio
Sonant plausus
et cantus musici,
Sed fidelis
athletae ratio
Non est mota
cantu multiplici,
Sed nec patri
cedit nec judici
Saniori
fretus consilio.
V. Regnum terrenum
et opes reputat quasi caenum.

2. Orans martyr
intra cubiculum
Miro fulget
decore luminis,
Quod ut pater
novit miraculum,
Numen ratus
gentilis nominis,
Mox subinstrans
interna liminis
Angelorum
videt oraculum;
V. Lucem fulgoris
dulcor comitatur odoris.

3. Dum rimatur
dotes aethereas,
Quas gentili
non licet cernere,
Oculorum lumen
infelix Heleas
Se caecatum
gemit amittere,
Sed Jupiter
quas nequit reddere,
Reddit martyr
videndi lineas;
V. Subvenit ingrato
patri data gratia nato.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aes conflatum
atque sculptilia
Non sunt dii
sed sunt daemonia,
Quibus rerum
factor offenditur,
Et tormentum
mortis acquiritur.

2. Princeps irae
furore rabidus,
Insultantem
mactare cupidus,
Fustes ferri
jubens in medium
Sanctum caedi
fecit Tiberium.

3. Post exactum
rigorem fustium
Latomorum
saevit exitium,
Has pro Christo
martyr injurias
Sponte ferens
impendit gratias.

Responsoria.

1. Puer coeli
ducente nuntio
Transmigravit
Modesto comite
Avis miro
pastus subsidio,
Ab Arauri
non longe gurgite
Umbra cedri
virentis hospitae
Pro solemni
fuit hospitio.
V. Eruit hic multos
vitiis et morte sepultos.

2. Accersitus
martyr Tiberius
Romam venit
cum regis nuntio,

Ubi regis
ejusdem filius
Torquebatur
gravi daemonio,
Quod juvenis
sola praesentia
Effugavit
per Dei filium.
V. Data est spes juveni
curata peste veneni.

3. Rex non valens
pondo peccuniae
Inclinare
sanctum numinibus,
Jam effectus
ingratus gratiae,
Cruciandum
dedit tortoribus.
V. Tunc adstrictum
ferri ponderibus
Cum Modesto
tradunt carceribus.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum saevirent
tortorum brachia,
Aruerunt
Dei potentia,
Sed et judex
justo judicio
Gemit manus
dolore nimio.

2. Rex affectus
dolore dexterae
Magum [sibi]
jubet accedere,
Qui per artem
agendo perperam
Fecit magis
arere dexteram.

3. Martyr artis
perversae nescius
Supplex orat,
ut Dei filius
Sanitatem
regi restituat,
Atque statim
id ipsum impetrat

Responsoria.

1. In catasta
sacris martyribus
Cum beata
tensis Florentia
Terrae motu
prostratis pluribus
Rex confusus
redit ad propria,
Viri sancti
virtute spiritus
Reportantur
ad locum pristinum,
Ubi vitae
sortiti terminum
Et ad lucis
translati Dominum
Coronantur
honore coelitus,
V. Merces sanctorum
Deus est amator eorum.

2. O victorum
invicta caritas,
O Tiberi,
martyr mirifice,
Cujus mundum
subegit pietas
Et cultores
sortis phantasticae,
Audi preces
plebis catholicae,
Posce Christum,
ut ejus bonitas
Reddat nobis
virtutes perditas
Et splendorem
lucis deificae;
V. Digneris fieri
nobis pius, alme Tiberi.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Indutus fortitudine
Sanctus martyr Tiberius
Mundum subegit sanguine,
Quem Caesar fudit impius,
Viventis Dei nescius,
Deceptus deorum numine.

2. Jubilet in laetitia
Totius vox ecclesiae,
Sanctorum patrocinia
Commendando memoriae,
Qui cum palma victoriae
Coeli tenent fastigia.

3. Quem sitiebat anima,
Quaesivit carne Dominum,
Flagra ferens asperrima
Venit ad patrem luminum
Post hujus vitae terminum
Regna tenens altissima.

4. Qui tres inclusus eruit
De fornacis incendio
Suos athletas voluit
Sublimare martyrio,
Nam ipsis sacra passio
Portas lucis aperuit.

5. Reges et omnes populi,
Senes cum junioribus,
Laudate regem saeculi,
Qui regnum suis testibus
Firmavit in coelestibus,
Quod nulli tollunt aemuli.

Ad Benedictus.

A. Ad sepulchrum
patroni nobilis
Larga virtus
Christi exuberat,
Ibi claudo
pes datur agilis,
Lingua muti
se sponte reserat,
Hic colorem
leprosus alterat,
Ad videndum
fit caecus habilis,
In aeternum
Deus laudabilis
Benedictus,
qui cuncta prosperat.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

A O Modeste,
cujus modestia
Dirum mundi
calcavit principem,
Christi regis
ferens insignia
Ventilasti
superbum judicem,
Audi preces
tuorum supplicum,
Ut adepta
culparum venia
Consequamur
lucis solatia,
Regnum pacis
et stolam duplicem.

Proprium Agathense imp. Biterris 1616. — In 1. Noct. A 3 fehlt eine Zeile. — R 3, 5 Zwei Silben zu viel. — In 2. Noct. A 1, 2 et sculptilia. — R 2, 14 curata mala peste genii. — R 3, 6 peringratus. — In 3. Noct. A 3, 8 Atque id ipsum statim. — R 1, 9 At viri sancti. — R 1, 12 locum Arauri pristinum. — R 1, 13 Ubi sunt vitae. — Hymnen hiezu: in Vesp.: Claro Deus praeconio; in Noct.: Nocturno Christo cantica; in Laud.: Aurora coeli praevia.

## 95. De sancto Trophimo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Galliarum principatus
Arelati est collatus
Ob honorem et ornatus
Trophimi apostolatus,
Quem a Christo sublimatus
Vir promeruit beatus,
Cujus precibus placatus

Christus nobis propitiatus
Deleat nostros reatus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum Jesum Christum adoremus Dominum,
Populis qui Galliarum primum sanctum Trophimum
Praesulem sibique dignum direxit apostolum.

### In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Post gloriosum salvatoris nostri corporeum ad coelum ascensum Ab ipsis Trophimus apostolis evangelica ad praedicandum documenta elegi meruit beatissimus;
V. Quia sacrae fidei idoneus, prius additus est rudimenta ac Domini evangelii praedicare sacramenta.

2. Vir prudens ingenii
Clientum apostoli
Pauli pii didascoli
Ad posse studebat sibi
Nulli secundus fieri;
V. Semper equidem Trophimus
Bonus et spiritalibus
Intentus erat actibus.

3. Praevidens doctor gentium
Cunctorum prudentissimum
Discipulorum Trophimum,
Praeconis ad officium
Secum sumpsit in socium;
V. Apostolus dum cerneret
Virtute virum crescere,
Deliberat extollere
Hunc altiore culmine.

### In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Cum esset Pauli socius,
Gravissimis languoribus
Coepit urgeri Trophimus
Destituique viribus;
V. Plus de magistri obsequiis
Moeret ad tempus perditis,
Quam de salute corporis.

2. Paulus enim ac Trophimus
Magister ac discipulus,
Certant piis affectibus,
Gemitibus ac fletibus;
V. Unus, quod se discipulus
Non potest sequi pedibus,
Alter, quod in doloribus
Remanet ac languoribus.

3. O quantum doctor gentium
A se tristatur socium
Dilectum sibi Trophimum,
Prae ceteris carissimum,
Per vim divelli febrium;
V. Paulus enim cum febribus
Commendat hunc hominibus,
Qui sunt Mileti, omnibus
In Christum jam credentibus.

### In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Parvo peracto tempore
Magister absens corpore
Pro maximo solamine
Salutat hunc ex nomine,
V. Ne qua forte moestitia
Se Trophimus afficiat,
Per apicum notitiam
Suam intimat gratiam.

2. Trophimus ut convaluit,
Magistro, sicut decuit,
Quo rumor illum prodiit,
Illuc se praesens obtulit,
V. Tellure, ponto discurrit,
Romae docentem invenit.

3. Perfectum Christo famulum
Petrus et Paulus Trophimum
Perficiunt in cathedra
Pontificali gratia,
Quem dirigunt ad Gallias
Et nationes Barbaras,
Qui fidem Christi praedicet
Ecclesiamque fabricet;
V. Primum quidem Arelato
Praedicavit populo,
Hinc ad plures suos gentes
Dirigit discipulos.

Ad Benedictus.

A. Apostolorum principis
Perfectum ex discipulis,
Directum ab apostolis
Accepto jure praesulis
Apostolum in Galliis,
Nunc Trophimum assiduis
Veneremur obsequiis,
Ut ejus nos suffragiis
Ab omnibus contagiis
Christus mundos cum angelis
Aeternis jungat gaudiis.

Brev. Grassense imp. s. l. et a. (1528). — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 1 Gallicarum. — In 1. Noct. **R** 1, 9 aditus. — **R** 1, 10 ad evangelii. — In 2. Noct. **R** 3, 2 Ad se tristantur. — In 3. Noct. **R** 2, 5 pontoque.

## 96. De sancto Turiano.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet Sion inclita
Pro filiorum gloria,
Quorum gaudet perpetuo
Turianus consortio,
Piis occurrat precibus
Sua festa colentibus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem,
Aeternum pontificem,
Cui Turianus placitum
Libavit sacrificium.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecclesiae murus
Christo moderante futurus,
Gente Britannorum
Turianus suscipit ortum.

2. Hic puer ex utero
succensus amore superno,
Sponte reliquit opes
et quos habuit genitores.

3. Plura philosophico
de fonte bibens opulento,
Musica quem monstrat,
nec cantum nosse recusat.

4. Grammatica doctum,
praedulci voce melodum
Praesul Dolensis
sibi foedere nectit amoris.

5. Egregium juvenem
morum probitate cluentem
Omnimodis decorat
studiis coelestibus ornat.

6. In cunctis humilem
placido sub pectore mitem
Gratia coelestis
facit elucescere signis.

Responsoria.

1. Praedo furens plures
incendit praesulis aedes,
Sed veniam meruit
cum facti poenituisset,
V. Damna ferens illi
terretur coelitus hostis.

2. Orat vir sanctus,
reus in se ne moriatur,
Impetrat et spatium
vitae melioris ad usum;

V. O pictas justi
bona retribuens inimicis.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christi magnificum
praesul Dolensis amicum
Ordinibus decorat,
coelesti dogmate format.

2. Adspirante Deo,
pariter poscente popello
Laude sibi dignum
succedere fecit alumnum.

3. Pontificale decus
merito virtutis adeptus
Coepit apostolicis
passim clarescere signis.

4. Ad verbum fidei
curantur coelitus aegri,
Auditus surdis
redit et lux pristina caecis.

5. Antistes orans
revocat de morte puellam,
Reddit et attonitum
Christo praeconia vulgus.

6. Pontificis cineres
exstingunt coelitus ignes,
Corpus et assumpti
radiat per signa patroni.

Responsoria.

1. Dulcis amice Dei,
patuit cui janua coeli,
Exorans Christum
nobis aperi paradisum,
V. Quem contemplaris,
cujus vultu satiaris.

2. Speciali visione
insignitus pontifex,
Arcam vidit testamenti
deferri ab angelis,
Quia erat arca legis
templum sancti spiritus,
V. Adhuc manens carne mundo,
sed in coelis animo.

3. Sancte Dei, precibus
nostros dissolve reatus,
Qui plerumque reis
veniam pius obtinuisti,
V. Erige labentes,
confirma deficientes.

4. O quam magnifice
coelum petis, o Turiane,
Ad coenam regis
tamquam conviva fidelis
Invitatus ades,
resonant coelestia laudes,
V. Ad deitatis opes
post hujus lucis agones.

### In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

1. Coelica cum sanctis
depromens cantica laudis
Collaudat sanctus
Dominum Sabaoth Turianus.

Responsoria.

1. Pontificale decus
linquens humilis Turianus
Sub patre Leufredo
monachatur in ordine sacro,
V. Magnificus praesul
pro Christo pauper et exsul.

2. Praepositus sceptrum
Michael retinens animarum
Pontificis sacra
residens apparuit ulna,
V. Angelicum signando virum
mundo crucifixum.

3. O senator paradisi,
coeli lampas aurea,
Surge, pater, offer Deo
laudum sacrificia,
Quae pro tuae sanctitatis
reddimus memoria;
V. Serva, sancte, gregem
tibi laudum vota ferentem.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus primaevo
 semper Turianus ab aevo
 Actibus et verbis
 testis fuit omnipotentis.
2. Hymnos laetitiae
 persolvens nocte dieque,
 Cantat cum Seraphim
 ter sanctus nunc trinitati.
3. Excubiis crebro
 detentus amore superno,
 Coeli deliciis
 felix exsultat opimis.
4. Praesulibus sanctis,
 qui dant praeconia laudis,
 Adjunctus, merito
 gaudet benedicere Christo.
5. Laudant ecclesiae
 sanctorum te sine fine,
 Rex Deus, in sanctis
 qui mira potens operaris.

Ad Benedictus.

A. Ave, praesul, Dei vultum
 contemplans cum angelis,
 Quem ex parte tectus carne
 meruisti cernere,
 Funde preces apud ipsum
 pro nobis assidue.

### In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater Turiane,
 dulcis in memoria,
 Sed cum Christo jam perenni
 dulcior in gloria,
 Quibus ipse jucundaris
 inter coeli vernulas,
 Fac, ut ad coelestis agni
 admittamur epulas.

Brev. ms. Pratense saec. 14. Cod. Parisin. 13239. — In 1. Noct. **A** 3, 3 Musica quam. — **R** 1 und 2 prosaisch. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 1 fehlt eine Silbe, weil entlehnt aus dem Officium Wingaloei.

## 97. De sancto Turiano.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudes altisonas
 psallat Dolus omnipotenti
 Et chorus antiphonas
 sancto super astra manenti
 Turiano.
2. Voci concordi
 si vox sit consona cordi,
 Exaudit sanctus
 vertens in [gaudia] planctus
 Turianus.
3. O Dole, ne doleas,
 amplectere gaudia, gaude,
 Custos, ne pereas,
 sit plenus perpete laude
 Turianus.
4. Felix namque Dolus,
 meruit qui reddere solus
 Pontificum florem
 reddentem thuris odorem,
 Turianum.
5. Psallat multimodis
 nobili cum carminis odis
 Et sine labe doli
 regia sacra Doli
 Turiano.

R. Pastor, ave, Turiane,
 Lingua tua mel suave
 Vocem audientibus,
 O confessor, morum messor,
 Apud Deum intercessor
 Sis pro nobis omnibus.
V. Dole, gaude et applaude,
 Turianus plenus laude
 Te picturat floribus.

Ad Magnificat.

A. Pastor Doli,
latebra pauperum,
Expers doli,
nectar mirificum,
O signifer
in aula superum.
Et lucifer
coetu pontificum
Deum ora,
ut memor miserum
Adsit hora
mortis viaticum,
Turiane.

## Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus creatorem
Septiformis gratiae,
Qui coronat confessorem
Turianum hodie.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir beatus meditatus
Cuncta facit prospere,
Sublimatus, coronatus
Vivit super sidera
Turianus.
2. Constitutus sancto monte
Indoctos edocuit,
Impollutus carnem sponte
Verus pauper domuit
Turianus.
3. Soporatus obdormivit
In bonis operibus,
Sic fundatus acquisivit
Vitam cum viventibus
Turianus.

Responsoria.

1. Hic sanctus ovium
Pastor Dolensium
Fuit, ut legitur,
Qui de Britannia,
Veneti patria,
Clara prosapia
Ortus dignoscitur;

V. Ut sol prae ceteris
Fulgore pueris
Dolis ostenditur.

2. Hic cum esset parvulus,
Turianus aemulus
Verbi Dei aderat,
Relictis parentibus
Et eorum opibus
Dolum ire properat,

V. Ubi custos ovium
Puerosque civium
Operibus superat.

3. Vox electa, vox dilecta
Turiano floruit,
Quae jocosa, saporosa
Armagilo placuit,
Qui psallentem innocentem
Viam morum docuit;

V. Qui prius modicus,
Post haec magnificus,
Puer angelicus
Cunctis apparuit.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deo sacrificium
Obtulit justitiae,
Non quaerens mendacium,
Sed verum quotidie;
In conspectu gentium,
Confessorum omnium
Apparens vas gratiae
Turianus.
2. Ex ejus ore veritas
Cunctis diebus defluit,
Nec reperiri vanitas
In ejus corde potuit,
Sed virginalis castitas,
Praecordialis caritas
In sancto semper floruit
Turiano.
3. Sanctum super opera
Manuum fructifera
Dominus constituit,
Qui lucrum in aetherea
Sumens super sidera,
Ut in terris meruit,
Turianus.

Responsoria.

1. Pater respicit filium,
Pastor ovis officium
Sibi servientis,
Confert ei dominium,
Regendi pontificium
Vitae statuentis;
Adsecutus fastigium
In ore placet civium
Thonique gaudentis.
V. Ministrat igitur,
Commissis fungitur,
Ut Joseph loquitur
Verba sapientis.

2. Furor leprae fugata fugiunt,
Claudi surgunt, caeci respiciunt,
Praedicanda
Muti loquuntur, surdi audiunt,
Mors stupet, dolores deficiunt,
Res miranda.
V. Morbos suppeditat,
Nemo periclitat,
Mortuos suscitat
Turianus.

3. Dum populo praedicat,
Arcae beatificat
Testamenti visio,
Lux de coelis emicat,
Turianum implicat
Lucis obumbratio;
Videns Deum supplicat,
In throno quem indicat
Sedentem in solio,
V. Angelorum apicem,
Hierarchiam triplicem,
Ut gaudent ad invicem
Fungentes officio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad usuram pecuniam
Sanctus dare non voluit,
Sed futuram ad gloriam
Obtinens mundi gratiam
Cordis affectum tenuit
Turianus.

2. Cordis desiderium
In terra viventium
Sancto Deus tribuit,
Coronam de lapide
Pretioso jaspide
Super caput posuit
Turiani.

3. Innocens manibus,
Utilis omnibus
Nocensque nemini,
Ut stella rutilans
Ascendit jubilans
Ad montem Domini
Turianus.

Responsoria.

1. Rivalon dum irascitur,
Aedes sacra comburitur,
Oritur tribulatio,
Sanctus dolens conqueritur,
Sceleratum aggreditur
Ferventi desiderio;
Michael sanctus mittitur,
Cum Turiano loquitur,
Reo datur remissio.
V. Dum librum coepit rodere
Vulpis, incepit cadere
Subitae mortis gladio.

2. Defertur ad ecclesiam
Meldoch ponenda tumulo,
Videt sanctus angustiam,
Planctum parentum patulo;
Orat Deum, flens etiam
Utroque sursum oculo,
Et Deus Gozgal filiam
Visitat coram populo;
V. Surgit sanctus de pulvere
Et puella de funere
Soluto mortis vinculo.

3. Ad horam ultimam
Sanctus perveniens,
Emisit animam
In Christo moriens,
Coelorum regiam
Felix ingrediens
Polique patriam
Felicem faciens.

V. Qui mundus aderat,
Sic mundum deserit,
Ad coelos properat,
Quos Deus aperit
Et, quam optaverat,
Gloriam reperit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus regnavit,
sedem sibi namque paravit,
Moribus indutus,
Dominum super astra secutus
Turianus.

2. Laetus servivit
Domino, feliciter ivit,
Poscens cum melos
et eorum gaudia coelos
Turianus.

3. Hic salvatoris
memor adfuit omnibus horis,
Et pater audivit,
quia Christum corde sitivit
Turianus.

4. Corde creatorem
benedicens atque creata,
Sentit dulcorem
coeli sibi sede parata
Turianus.

5. Psalterio, chordis,
cithara cum carmine cordis
Regem laudavit,
[Dominum], qui cuncta creavit,
Turianus.

Ad Benedictus.

A. Dignus praeconio
Dignusque praemio
Vitae dignoscitur,
Meldoch nefario
De mortis gladio
Ad vitam ducitur,
Coram fastigio
Domini regio
Arcam quae vehitur,
In throni medio
Jesum in solio
Vidit, ut legitur,
Turianus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater Turiane,
dulcis in memoria,
Sed cum Christo jam perenni
dulcior in gloria,
Quibus ipse jucundaris
inter coeli vernulas,
Fac ut ad coelestis agni
admittamur epulas.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — In 1. Noct. A 2, 3 carne. — In 2. Noct R 2 enthält mehrfache Wortverstellungen: Furor leprae fugatur claudi surgunt et fugiunt caeci respiciunt muti praedicanda loquuntur surdi audiunt mors stupet dolores deficiunt res miranda. — In 3. Noct. R 2, 8 Gozogol. — R 3, 5 Coelorum reginam. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 1 fehlt eine Silbe, weil entlehnt aus dem Officium s. Wingaloei.

## 98. De sancto Valerico.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Valericus,
Probitate conspicuus,
In voluntate Domini
Corde, mente pervigili
Dum vixit, jure perstitit.

2. Servivit namque Domino
In timore sanctissimo
Ac legis jus catholicae
Didicit libentissime
Exercuitque opere.

3. Confessorem hunc insignem,
Valericum Christus sua

Mirificavit gratia
Illiusque complens vota
Transvexit super aethera.

4. Conlaetemur, Jesu bone,
Hujus sancti fulti prece
Valerici, quem lumine
Probi vernantem operis
Tuis adscisti gaudiis.

5. Gloria, Christe, perpeti
Sanctum tuum coronasti
Valericum pro meritis
Supernorum ac civium
Constituisti socium.

6. Justus Dominus et potens,
Perpetuae rex gloriae,
Justo suo Valerico
Contulit lucidissimum
Vitae perennis bravium.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Requiescit sanctissimus
Valericus in superi
Quiete capitolii
Quam fructibus gratificae
Commeruit justitiae.

2. Religione strenuum
Sanctissimum Valericum
Conservasti tu, Domine,
In tuo semper opere,
Quo nunc consors est gloriae.

3. Non fraudasti eum, Christe,
Cordis ejus voluntate
Et coronam in capite
Ex pretioso lapide
Imposuisti, Domine.

4. Innocens manibus atque
Mundus corde et corpore,
Valericus almifluus,
Concinis inter supera
Sanctorum, constat, agmina.

5. Exaudi, Deus, proprios,
Quem decet hymnus, famulos
Almis beati precibus
Valerici propitius,
Quem elegisti coelitus.

6. Quam praeclarus in supremo
Aulae coelestis solio,
Turmae consors angelicae,
Confessor adstas, inclite
Valerice, quem devote
Deposcimus, nos refove
Atque tuendo provide.

### In 3. Nocturno.

*Ad Cantica.*

A. Vir Domini Valericus
Confessor et eximius,
Dum floreret in schemate
Indolis gratantissimae,
Christo mentis perliquidae
Toto servivit pectore.

### Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Relicto hic nempe solo
Dei famulus patrio,
Vitans saeculum fragile
In summi montis latere
Tot annis solitudine
Sese subdidit eremi.

2. Hoc quippe clausus loculo,
Divo fluens solatio
Valericus sat arduae
Vitae pergebat tramite,
Quo tandem ovans suprema
Scandidit poli culmina.

3. Hic martyris exiguam
Juliani basilicam
Fundavit, in qua proprium
Adnexuit mausoleum,
Qua conditus mirifice
Virtutum pollet lumine.

4. Fulgescunt his nam plurima
Miraculorum genera
Signorum atque lampade
Locus renidet lucide,
Quibus laetamur sedule,
O Valerice maxime.

5. Alme confessor Domini,
Valerice, altissimi,
Nostris, devote poscimus,
Favens adesto precibus
Et nos tuarum lepide
Laudum canentes pneumate
Tecum consortes facere
Celso digneris patriae
Ac sempiternae gloriae.

Cod. Martialen. saec. 11. Cod. Parisin. 1120. add. saec. 11.

## 99. De sancto Vigore.

### In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Annua lux revenit,
qua coelica regna petivit
Vigor, magnificus
praesul, virtutibus actus.
2. Vigor, ad aeternas
susceptus coelitus odas,
Commenda nostros
Domino, pater inclite, cantus.
3. Virtutum titulis
resplendet turba fidelis
Sanctorum patrum
Christi mandata sequentum.
4. Inter quos Vigor,
divinae lucis amator,
Splendiferis signis
rutilat velut orbita solis.
5. Angelus hunc matri,
pressae dulcedine somni,
Pastorem magnum
praedixit esse futurum.

Ad Magnificat.

A. Gratia, Christe, tibi,
Vigorem qui statuisti
Magnum pontificem
tecum super aetheris arcem,
Illius ut precibus
nobis pateat paradisus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ecclesiae proles
Christo canat inclita laudes,
Qui dedit angelicae
Vigori praemia vitae.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nascitur et crevit,
quem spiritus igne replevit,
Ardentis fidei
quae sunt pia munera Christi.
2. O Deus aeterne,
cunctorum conditor alme,
Qui sic Vigorem
conscendere das ad honorem.
3. Despiciens stolidi
quae sunt sua gaudia mundi,
Sub patre Vedasto
monachus processerat actu.

Responsorium.

R. Servus Christi summi regis
Vigor erat humilis,
Ut det sibi lumen verum
et coelestem animum,
Quibus via patet recta
ad coelorum culmina,
V. Confortatur dono Dei
atque luce fidei.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Angelus in somnis
Vigorem tempore noctis
Accelerare viam
monuit jam denique coeptam.
2. Evigilans sanctus
praecepto laetificatus,
Venerat ad vicum
Redeveris nomine dictum.
3. Ibi falsorum
cernens simulacra deorum,
Condolet indigenas
leges servare profanas.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Incumbens precibus
lacrimas effudit subortas,
Christum mente petens,
ut eos convertere posset.

2. Magnificus precibus
Dominus pius annuit ejus,
Cor tribuendo novum
mitti turbae populorum.

3. Occurrunt fidei
poscentes dogmata cuncti,
Tinxit quos ille
sacro baptismatis amne.

Responsoria.

1. In praefato quidem vico
mortuo puerulo,
Mater ejus lacrimosa
emittens suspiria
Ad Vigorem currit cito
supplicans pro filio,
V. Prae dolore fatigata,
Fide tamen confirmata.

2. Vigor magnificus,
nulli pietate secundus,
Defunctum puerum
de morte resurgere vivum
Obtinuit precibus.
V. Ut pueri matrem
fletu pene deficientem
Vir Domini vidit,
de morte surgere vivum
Obtinuit precibus.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Destructis idolis
et eorum denique templis,
Circumquaque pii
surgebant moenia Christi.

2. Sed tamen haud longe
gens rustica sedit ab urbe,
Subdita insanis,
contempsit verba salutis.

3. Hos Childebertus,
Francorum rector honestus,
Vigori tribuit
magno propriosque dicavit.

4. Quos pastor Domini
jungens ad ovilia Christi,
Ad veri speciem
populum perduxerat omnem.

5. Sensit Bertulphus,
multo jam daemone plenus,
Quod Vigor sanctus
est Christi nomine tutus.

Ad Benedictus.

A. Praeclarus meritis
Vigor resplendet opimis,
Qui volucrem mansum
fecit prece surgere vivum;
Ejus ut auxilio
mereamur vivere coelo,
Concedat nobis
totius conditor orbis.

### In 2. Vesperis.

R. Laeta dies illa,
quam coelica contulit aula,
Laetus erat clerus
tanto sub praesule factus,
Beati populi
venerantes munera Christi.
V. Vigor prae cunctis
humilis fuit et sibi vilis,
In Domino gaudens,
Domini bonitate relucens.

Ad Magnificat.

A. In Domini laude,
Vigor sanctissime, gaude,
Intrasti coelum
divino lumine plenum,
In quo nos tecum
possimus cernere Christum.

Brev. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV° 19. — In 1. Noct. A 2, 2 conditor cunctorum. — Alle RR. prosaisch mit Ausnahme von einem in der 1., zweien in der 2. Noct. — Hymnus ad Vesp.: Deus, protector omnium (Anal. XII, 257); der Hymnus ad Laudes ist mit Vorsetzung der Worte „Servus Christi summi regis" aus den beiden RR. der 3. Noct. gebildet.

## 100. De sancto Wingualoeo.

### In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave pater sanctissime,
Flos et decus ecclesiae,
Gemma fulgens in gloria
Monachorum laetitia,
Wingualoe, petimus,
Nos tuis salva precibus.

### Ad Matutinum.

Invitatorium.

Plebs in laude Dei
meritis et Wingualoei
Exsultet modulis
et spiritualibus hymnis.

### In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Germine regali
fecunda Britannia sanctum
Coelitus electum
produxit Wingualoeum.

2. Qui geminis natis
velut ad numerum trinitatis
Tertius exsequitur,
fidei virtute potitur.

3. Hic puer eximiae
capiens documenta sophiae,
Christum dilexit,
cui mente perenniter haesit.

### In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Moribus insignis
* * * * * * * * *
Et nova lux patriae
fama radiabat ubique.

2. Parvulus emoriens,
quem vipera punxerat ingens,
Hujus opem meruit,
virus letale profudit.

3. Vivifico plenus
spiramine Wingualoeus
Aspersam sacra
defunctam suscitat unda.

### In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lampas ecclesiae
doctor venerabilis iste,
Multos instituit
monitis et ad aethera duxit.

2. Exemplo Moysi
praecelso munere Christi
Divisit pontum,
transivit turba profundum.

3. Ut tetigit fluctus
baculi de cuspide justus,
Praebuit antiquum
coelestis gratia signum.

### In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus intentus
divinis Wingualoeus
Saepius angelicae
concepit jussa loquelae.

2. Intererat coeli
secretis mente fideli.

3. Eximium patrem
pietatis et ubere matrem
Flebant discipuli
tanto duce destituendi.

4. Pro sibi commissis
oravit pastor herilis,
Plenius egregiis
quos instituit documentis.

5. Regem splendoris
collaudans omnibus horis
Laude celebrata
missae conscendit ad astra.

Ad Benedictus.

A. Gaude felix angelorum
perenni consortio,
Pie pater, filiorum
crebra consolatio
Tua Christo nos conjungat
dulcis intercessio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater Wingualoe,
dulcis in memoria,
Sed cum Christo jam perenni
dulcior in gloria,
Quibus ipse jucundaris
coeli inter vernulas,
Fac, ut ad coelestis agni
admittamur epulas.

Brev. ms. Corisopitense saec. 15. in. Cod. Scorialen. P III 13. — In 1. Noct. **A** 2, 1 natio. — In 2. Noct. **A** 2, 3 Cujus opem. — In Laud. **A** 1, 4 uisa loquela. — Verfasser dieses Officiums ist vermutlich derselbe Wurdestinus (abbas Landevenecensis), der in der zweiten Hälfte des 9. Jahrhunderts lebte und aufser einer prosaischen längeren und einer kürzeren metrischen Vita unseres Heiligen drei Hymnen zu dessen Ehre verfafst hat. Die Gründe zu dieser Vermutung sind 1. die Wahrnehmung, dafs häufig mit der Vita zugleich auch eine Historia zu liturgischem Zwecke abgefafst wird; 2. dafs diese Verse — mit Ausnahme der **AA.** ad Bened. und ad Magn. in 2. Vesp., die jünger sind — zu der Verskunst des Wurdestinus zu passen scheinen; 3. dafs die **A.** ad Magn. in 1. Vesp. sich in dem Cod. Parisinus 5610 saec. 10/11. befindet, der ausschliefslich Werke Wurdestins enthält. Jedenfalls ist er als Autor der Antiphon anzusehen. Cfr. Analecta Bollandiana VII, 167 ff.



# Inhalts-Übersicht.


## I. Real-Index.


## II. Verbal-Index.






Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.



GretagMacbeth™ ColorChecker Color Rendition Chart